EINLADUNG

ZUR

OEFFENTLICHEN PRÜFUNG

DER

SCHÜLER DER DOMSCHULE

AM

12. APRIL,

VORMITTAGS VON ZEHN UND NACHMITTAGS VON DREI UHR AN,

VON DEM DIRECTOR DER ANSTALT

DR. G. C. H. RASPE.

Inhalt: 1) De aoristi passivi formis atque usu Homerico. Von Herrn Dr. W. Kühne.
2) Schulnachrichten von Ostern 1877 bis dahin 1878. Vom Director.



GÜSTROW.

GEDRUCKT IN DER EBERT'SCHEN RATHSBUCHDRUCKEREI.

1878. PROGR. 528.

Anordnung der Prüfung.

Freitag, den 12. April.

Vormittags.

$10^1/_4$ bis $10^3/_4$ Uhr. Quinta. Religion. Herr Hempfing.
$10^3/_4$ bis $11^1/_4$ Uhr. Obertertia. Geschichte. Herr OL. Dr. Förster.
$11^1/_4$ bis $11^3/_4$ Uhr. Untertertia. Griechisch. Herr Dr. Kühne.
$11^3/_4$ bis $12^1/_4$ Uhr. Secunda. Lateinisch. Herr OL. Dr. Fritzsche.
$12^1/_4$ bis $12^3/_4$ Uhr. Prima. Französisch. Herr OL. Dr. Maschmeier.

Nachmittags.

$3^1/_4$ bis $3^3/_4$ Uhr. Sexta. Rechnen. Herr Pann.
$3^3/_4$ bis $4^1/_4$ Uhr. Quarta. Französisch. Herr Dr. Marquardt.
$4^1/_4$ bis $4^3/_4$ Uhr. Untertertia. Lateinisch. Herr Dr. Kretschmann.

Das neue Schuljahr beginnt Montag, den 29. April, Morgens 8 Uhr, zu welcher Zeit auch diejenigen Schüler sich einzufinden haben, deren Lectionen erst 9 Uhr anfangen.

Die Aufnahme hiesiger Schüler wird Freitag, den 26. April, Morgens von 9—1 Uhr in meiner Wohnung erfolgen, die Aufnahme auswärtiger Sonnabend, den 27. April, Morgens von 9—1 Uhr und Nachmittags von 3—6 Uhr. Vorzuzeigen sind der Geburts- und Impfschein, von Schülern über 11 Jahre ein Schein über erfolgreiche Impfung im Verlauf der letzten 5 Jahre, das zuletzt erhaltene Schulzeugniss resp. das Abgangszeugniss und einige Schulhefte aus dem letzten Vierteljahr.

Ferien.

Pfingstferien: Von Freitag 7. Juni Nachmittags 4 Uhr bis Sonnabend 15. Juni.
Sommerferien: Von Freitag 19. Juli Nachmittags 4 Uhr bis Sonnabend 17. August.
Michaelisferien: Von Freitag 27. September Nachmittags 4 Uhr bis Sonnabend 5. October.
Weihnachtsferien: Von Freitag 20. December Nachmittags 4 Uhr bis Sonnabend 4. Januar 1879.

In hoc libello exponere conati sumus quae ratio intercedat inter passivam notionem atque variorum Graecae linguae aoristorum formas. Cum enim Homeri carminibus pervestigandis operam daremus, praeter alia multa illud maxime nos offendit quod genera verbi aliter atque in vulgari posterioris aetatis sermone fieri solebat usurpari videbamus; et cum accuratius in eam rem inquirere coepissemus, non solum animadvertimus de singulis quaestionibus diiudicandis non mediocriter dubitari, sed etiam rem ita interdum tractari, ut summa licentia et arbitrio ipse poëta (seu ipsa lingua si mavis) usus esse videretur. Illud enim ferri non posse censemus, ut nulla alia explicatione addita poëta pro medio activo, medio pro passivo usus esse dicatur, sed cum in eligendis verbi generibus lingua non minus quam praeterea suis legibus usa esse videretur, id nobis proposuimus ut in illas leges inquireremus atque demonstraremus qua via paullatim ab antiquissimis temporibus ad eum loquendi usum pervenissent Graeci quem posteriore aetate secuti sunt. Homeri carmina autem propterea aptissima videbantur quae nos in ea quaestione instituenda adiuvarent, quod ex ea inconstantia atque varietate quam vel maxime in generum verbi usu exhibent optime cognosci posse iudicabamus qua ratione paullatim ea commutatio facta esset.

I.

Ut disputationem nostram recte instituamus opus est accuratius exponere primum quae sit passivi generis notio, tum quomodo factum sit ut Graeci ad notionem illam exprimendam his ipsis formis uterentur quibus eos usos esse videmus.

Atque de passivi notione quidem pluribus disputaverunt Haacke, der gebrauch der genera des griechischen verbums pg. 36 sq. et von der Gabelentz, über das passivum, eine sprachvergleichende abhandlung §. 2, apud quos aliorum praeterea virorum sententias laudatas inveni, quos cum fere cum illis consentiant singulos nominare longum est. Unius Wüllneri verba attulisse satis habemus: »die gewönliche ansicht, dasz das subject bei dem passiv leidend gedacht wird ist irrig . . . . Bei dem passiv musz das subject als in die handlung übergehend oder dieselbe aufnemend, nicht aber umgekert die handlung als in das subject übergehend gedacht werden«, ad quae addit v. d. Gabelentz: »dasz das eigentliche object der handlung als subject dargestellt wird ist nur dann möglich, wenn auch beim passiv das subject als in gewisser beziehung activ gedacht worden ist«*). Habes hic eam passivi descriptionem quae colligitur ex investigatione earum formarum quibus singuli populi usi sunt ut passivum notarent, nec mirum quod Gabelentzio huius generis notionem definienti illud maximi momenti esse videbatur quod ingens linguarum quas perlustraverat numerus eum docuerat. Sed separanda mihi videtur ab hac etymologica ea passivi vis quam logicam potius appellaverim. Nam quamquam in illis verbi formis quibus passiva vis attribuitur primo agendi notio inerat, tamen illa primaria notio paullatim ita in oblivionem venit ut recte dici possit in illis formis non iam inesse notionem agendi sed patiendi, atque Aristoteles cum singula praedicamenta enumeraret (*κατηγ.* 4) recte in verbis *καίεται*, *τέμνεται* patiendi vim inesse dixit**).

Ut ad alteram quaestionis partem recte respondeamus inquirendum est in naturam atque vim eius verbi graeci generis quod secundum rerum grammaticarum scriptores medium nunc appellare consuevimus. Nam de aoristorum in *-θην* et *-ην* exeuntium formis satis habemus relegasse ad ea quae Curtius, das griechische verbum II, cap. XIX exposuit.

---

*) Gabelentz, l. l. pg. 458.

**) Cf. Steinthal, über das passivum (zeitschr. f. Völkerpsychologie etc. II. (1862) pg. 246: man hatte nicht unrecht wenn man meinte das passivum bezeichne ein leiden, die kerseite des activums; es hat nemlich heute und längst den logischen sinn des leidens im gegensatze zur tätigkeit. Die ursprüngliche innere sprachform dagegen, die etymologische bedeutung des passivums ist die oben angegebne.

De medii autem natura cum quaereret Haacke statuit hanc ipsam notionem passivam quam modo descripsimus ei primariam infuisse*), qua in re non mediocriter erravisse nobis videtur. Etiamsi enim ceteris in rebus ei assentiamur statuenti medii notionem penitus cognosci non posse nisi antea plane perspectum sit quae ratio intercedat inter suffixa illa personalia in quae medii formae exeunt atque activi formas**) et neganti illa suffixa ita iam explicata esse ut aliter explicari non posse videantur, tamen in hac ipsa re lapsus est quod passivam notionem primariam esse posse putavit. In tanto enim linguarum numero quas v. d. Gabelentz in libello suo contulit inveniuntur quidem quae careant passivi notione, nulla extat quae suas passivae notioni formas finxisse dici possit, sed aliae alias formas quasi illi tradiderunt quibus uteretur, in quas interdum ita irrepsit, ut iam paene ab initio infuisse videatur. Nec magis recte in ea re diiudicanda Aristotele arbitro usus esse videtur dicens***): »büszen wir den aufschlusz ein, den das verständnis der griechischen genusformen gewären müste, ... so bleibt uns nichts übrig als uns an die begriffe tun und leiden zu wenden, an welche die unterscheidung der beiden genera nach dem vorgange des Aristoteles geknüpft ist. Atque alio loco (I, pg. 23): halten wir die von Aristoteles aufgestellten kategorien ποιεῖν und πάσχειν fest, die er selbst . . an der hand der sprache gefunden hat, so kommt es darauf an, überall wo die activischen personalsuffixe gebraucht sind, das ποιεῖν und ebenso wo die passivischen stehen das πάσχειν festzuhalten und nachzuweisen«. Iniuria, nam quamquam nemo negabit medii graeci formas passivam quoque vim habuisse, tamen non intellego quo iure dici possit ubique eam notionem inesse *debere* atque eo minus quod ipse Haacke (I, pg. 23) concedit Aristotelem non id egisse ut demonstraret quid lingua ipsa cum illas formas fingeret exprimere voluisset, illud enim Aristotelis aetate ut optime monuit ipse Haacke iam dudum obliti erant homines****).

Sed iam quaeritur quae sit principalis illius generis notio atque usus, ut demonstrare possimus qua via paullatim ab antiquissimis temporibus verbi formae eam vim in se susceperint quam postea habuerunt. Atque erant quidem qui statuerent medii formas ita differre ab activo ut illi inesset notio intransitivae actionis, huic transitivae, quam explicandi rationem primus quantum equidem vidi iniit Mehlhorn (Jahns Jarbücher 1831, I. p. 27); alii neque ii pauci putabant in medii formis proprie fuisse notionem reflexivam. Infra nobis facultas dabitur demonstrandi quod iam alii demonstraverunt, quamquam aliam fortasse viam ingressi, medii formas nunquam vere reflexivam quam grammatici vocant vim habuisse. Et quamquam ea formas explicandi ratio quam Bopp, Curtius aliique inierunt aliqua ex parte propterea inita videtur quod medii formis reflexivam notionem inesse iudicabant (cf. Bopp, vgl. grammat. II², §. 475) tamen non propterea reicienda videtur ut Haacke iudicavit, cum ex quibusdam formis ut recte monuerunt illi viri etiamnunc cognoscatur eas pronomine bis verbo affixo fictas esse; maximeque eam ob causam tenenda videtur cum et reliquis quas adhuc inierunt potior videatur, nec omnino illam rationem secuti cogamur ut medii formis reflexivam vim inesse dicamus; nam maxime nobis probantur quae Curtius (Verbum I¹, 82) exposuit dicens: »die

*) Haacke l. l. pg 36 sq.

**) Ib. p. 34.

***) Haacke, Gebrauch der genera (II) pg. 36. Cf. eiusdem flexion des griech. verbs (I) pg. 23.

****) Ibidem, cf. Steinthal l. l. pg. 246: überall schwindet die innere sprachform als apperceptionsorgan aus dem Bewusstsein und nur das appercipierte bleibt darin.

bildung des mediums ging . . . . der bildung der casus weit voraus. der begriff des accusativ dativ u. s. w. hat schwerlich schon im bewusztsein der Indogermanen gelegen als sie das medium schufen. das verhältnis des neu angefügten pronomens zur handlung blieb also unbestimmt«. Et quoniam medium in universum ita ab activo differt, ut significet eas actiones quibus plus minus moveatur subiectum, facile concedetur ipsum subiectum repetitum eam actionis qualitatem exprimere potuisse, maxime cum praeterea quoque ad enuntiati vim augendam pronomine aut praepositione bis posita usi sint veteres (cf. Indorum upary upari sarvêšâm Nal. I, 2; tâis tair vihârai: Su. I, 34; mama = mei quod reduplicatione ortum putatur; Romanorum »sese«, nostrum denique »tagtäglich« aliaque). Neque illud quod nos interdum medii formas vertentes pronominis casum dativum aut accusativum addimus verbo efficere potest, ut a Graecis ipsis vel Indogermanis alterum pronomen pro casu obliquo additum esse statuamus. Omnibus autem medii formis communem esse illam vim putamus quam supra diximus. — Iam quod Mehlhorn statuit intransitivam actionem significari medio genere in illam rem paucis inquiramus. Atque primum quidem erravisse videtur propterea quod artis logicae rationes potius secutus est in ea quaestione diiudicanda quam ipsas verborum formas, tum quod transitivi et intransitivi voces rem non satis notare videntur. Ipse quidem maxime movebatur notione verborum *ἵστημι* et *ἵσταμαι*, *ὄλλυμι* et *ὄλλυμαι* aliisque ut medio intransitivam notionem tribueret, atque etiam Haacke cum negaret inter transitivam atque intransitivam verbi vim recte distingui posse non aliter duplicem notionem augendi et crescendi quae in verbo *ἀέξειν* inest descripsit quam ut alteri transitivam, alteri intransitivam vim inesse statueret. Sed si quaeritur quae ratio inter *ἵστημι* et *ἵσταμαι* intercedat profecto parum accurate iudicaret qui alterum transitivam, alterum intransitivam vim habere diceret, sed in verbo *ἵστημι* potius causativae actionis notio inest, i. e. efficiendi ut fiat id quod medii formae significant. Sic cum *ἀέξειν* significet non solum augere sed etiam crescere, apparet non ita differre eas notiones ut altera sit transitiva, altera intransitiva, sed ut augendi notio causative significet efficere ut aliquid crescat. Iam cum quaeratur quomodo id factum esse statuendum sit, mihi quidem dubium non videtur quin ubicunque utraque notio in uno verbo sive coniuncta sive altera activi, altera medii formis attributa inveniatur, causativa posterior accesserit quippe quae altera*) nitatur, nec magis gotorum satjan, laibjan, baugjan post verba sitan, leiban, biugan orta sunt, quam graecum verbum *ἀέξειν* primo habuit notionem crescendi, cui postea augendi notio addita est. Itaque quod Haacke (gebrauch der genera pg. 49) scripsit: »der satz jedes verb sei von vorn herein sowol des transitiven als des intransitiven gebrauchs fähig hat sein unbestrittnes recht« nihil dixisset si aliud dicere voluisset quam omne verbum praeter principalem notionem quadam linguae aetate *causativam* quoque notionem in se suscipere potuisse. Si id dicere voluit maximopere ei assentimur, tamen quamquam multi id intellexerunt, nemo adhuc recte explicuisse videtur quomodo id factum sit. Plerique enim notionem quam nos propriam esse statuimus ex causativa ortam esse dixerunt, properandi seu eundi notionem (*ἵεσθαι*) ex mittendi (*ἱέναι*), pereundi (*ὄλλυσθαι*) ex perdendi (*ὀλλύναι*) qua de re statim videbimus.

---

*) quam notionem et ipsi intransitivam appellabimus, sed ita ut ei causativam opponamus.

Sed antea quaeritur num recte statui possit causativas actiones ab intransitivis differre seu potius num ipsi linguae differre visae sint. Nam cum apud ipsos Graecos saepius acciderit ut eadem verbi forma praeter principalem causativam quoque notionem in se susciperet, Haacke negavit (l. l. II, pg. 50) recte distingui posse inter transitivam et intransitivam significationem dicens: »es gilt einzusehen dasz die bedeutung z. b. von ἀέξειν sich nicht ändert . . . wie denn die form ganz dieselbe bleibt, ob mit dem worte das verhalten des subjects oder des objects bezeichnet wird, da das eine mal dieses, das andre mal jenes als traeger der handlung gedacht wird, an deren zustande kommen sie beide gleicher weise teil haben«. Habemus quidem nonnulla verba — quamquam non omnia quae ille vir doctus pg. 46 attulit mihi probantur — quae promiscue et transitive (causative) et intransitive usurpantur, sed quid illorum exiguitas si comparatur cum copia eorum verborum quorum notio causativa accurate ab intransitiva separatur. Atque id quidem ita factum est ut aut binae activi generis formae tenerentur quarum altera alteri significationi reservabatur, aut medii formis intransitiva notio tribueretur qua ab activa causativa distingueretur. Ubicunque igitur utramque actionem distinguere neglexerunt, id factum esse statuendum est propter inopiam quandam, non quia discriminis nihil adesse iudicaverint. Sed si propterea causativa verbi actio ab intransitiva differre negatur eodem iure fortasse dixeris tempus praesens non differre a futuro, quod satis magnus numerus extet formarum futurum tempus significantium ut ἔδομαι, πίομαι, ἐλῶ cet. quae per se spectatae non differunt a praesentis formis quibus tamen inesse voluerunt futuri vim, quod denique vetustissima nostrae linguae aetate futuri notionem praesentis formis significaverint Germani *). Illis temporibus quibus verborum formae fingebantur sine dubio futuri notio non magis suis formis exprimebatur quam causativi verbi; utrique vero notioni postea suae cuique formae tributae sunt, ex quo haec ab illa accurate separari coepta est.

Sed quod supra monuimus saepius fieri ut intransitivam notionem medii formis tribuerent Graeci facile apparebit eam actionem magis medii notioni convenire quam activi. Nam cum iis actionibus, quae ut ita dicam a subiecto transeunt ad obiectum illud plerumque minus moveatur quam hoc, actiones intransitivae ut dormiendi iacendi sedendi ad nihil nisi ad subiectum pertineant, consentaneum est, ut illae ab his distinguerentur, plerumque causativam actionem activo, medio intransitivam attributam esse. Sed cum non ubique id factum esse videamus, sed interdum nonnullae activi formae intransitivam vim servaverint, aliae vero causative usurpentur, ut ἔστην — ἔστησα, ne nimis id ad arbitrium factum esse videatur quaeritur quomodo id accidisse statuendum sit. Maxime ei rei lucem attulerunt, quae Curtius in libro suo: das verbum der griechischen sprache seinem bau nach dargestellt de graeci verbi formis exposuit, ex quo cognoscitur verborum graecorum formas quamvis magna sit earum copia reliquias esse ingentis formarum multitudinis, quibus fingendis antiquior linguae aetas fundamentum posuerit. Sed cum ingens illa formarum abundantia maior esset quam ut cunctae retineri possent, interdum servabantur bina vel terna eiusdem radicis themata q. v., nulla alia de causa nisi ut diversae iis notiones attribuerentur. Non retinuissent Graeci formam ἔτραφον cum aoristo ἔθρεψα, nisi id egissent ut alteri intransitivam, alteri causativam

*) Cf. Bopp. vgl. Gramm. II ², §. 661.

notionem tribuerent. Similiter aoristo *ἔτραπον* apud Homerum intransitiva versandi notio inest qua differt ab aoristo *ἔτρεψα*. Habemus denique praeter alias aoristi formas (*ἔστην* et *ἔστησα*, *ἔσβην* et *ἔσβεσα*, *ἔβην* et *ἔβησα*) satis magnum perfectorum numerum, *ἔρρωγα*, *ὄλωλα*, *πέποιθα*, *ἕστηκα*, quorum vis intransitiva repugnare videtur praesentis reliquarumque activi formarum notioni transitivae, qua de causa in libris grammaticis monetur inaequalitatem in ea mutatione inesse. Hic vero Curtius in libro suo recte docet, quarum radicum activa forma utramque notionem et intransitivam et causativam exhibeat, illam primariam iudicandam esse, cum vis intransitiva iis verbi formis maxime attribuatur, quibus vetustatis species impressa sit.

In hanc rem quam ille vir doctissimus quasi praeteriens attigit paullo accuratius iam inquiramus, cum ea quasdam difficultates tolli posse nobis persuadeamus, quae effecerunt, ut iniuria medii formis reflexivam quam vocant notionem inesse posse statuerent. Curtius enim (griechische Grammatik §. 478) docet: wir unterscheiden 1) das directe medium, in welchem das subiect zugleich directes obiect des verbums ist . . . . Diese art des mediums ist die seltenste. Immo omnino eam extare nego atque quod saepius monuit Haacke in libello supra laudato ne in linguae graecae formis explicandis nostram potius loquendi consuetudinem sequeremur quam Graecorum cogitationem exploraremus, id maxime in hanc rem quadrare puto. Et cum ad hanc paragraphum adnotans scripserit: »aus dem directen medium sind merere media in die intransitive und passive bedeutung übergegangen« primum haec verba oculis perlustremus quomodo suam quodque vim in se suscepisse statuendum sit. Nam equidem mihi persuadere non potui notionem illorum verborum medialium ita ortam esse ex activis ut *γεύεσθαι* significaret proprie sich kosten lassen = kosten, *παύεσθαι* sich aufhören machen = aufhören, sed cum inter illas formas ea ratio intercedat, ut activae formae tribuatur causativa notio mihi non dubium videtur esse quin primariam illorum verborum significationem medium servaverit, ita ut *γεύειν* primo significaverit gustare, *παύειν* desinere. Neque enim verisimile est causativam illam notionem quam in verbo *γεύειν* aliisque inesse videmus principalem fuisse nec omnino causativam radicis notionem unquam principalem fuisse statui potest. Sed cum eorundem verborum opera etiam causativa notio significanda esset, factum est ut principalis notio in medii formis *maneret*, quae maxime idoneae erant ad intransitivam vim quae inest in verbis *παύομαι γεύομαι* exhibendam. Destituebantur enim Graeci iis adiumentis quibus usa est Indorum lingua, ut suas illi causativae notioni effingerent formas. Aliqua ex parte sententia nostra probatur quod saepius apud poetas qui principalem verborum notionem praecipue servaverunt, imperativi *παῦε* forma sensu intransitivo desinendi usurpatur. Magis etiam sententiam meam corroborari puto comparandis duobus aliis verbis quae eodem modo explicari voluit Curtius, *ἵημι* et *ἵστημι*. Censet enim cum *ἵημι* significet nostrum werfen, *ἵεσθαι* proprie significare sich werfen i. e. eilen. Sed mihi sic potius videtur ut dicam principalem illius verbi notionem fuisse intransitivam eundi vel properandi, quae eadem notio inest in sanscr. radice ya, cum qua *ἵημι* sine dubio arctissime coniunctum est. Sed cum iaciendi notio et ipsa huic verbo tribueretur, transitivam s. causativam activo, intransitivam quae prior fuit, medio tributam esse consentaneum est, ita tamen ut causativa ex intransitiva orta esse iudicanda sit, non ex contrario haec ex illa, id quod ferri nequit. Comparare licet verbum *βάλλω*, quod et ipsum intransitivam interdum exhibet vim et originem ducere a radice gal

plerisque visum est quae eadem apud Indos intransitivam cadendi notionem habet. — Idem iudico de medio ἵσταμαι. Illud verbum proprie intransitivam vim habuisse cum ex aliis linguis cognoscitur tum eo quod vetustissimas quasque formas intransitivam notionem tenuisse videmus. Multa praeterea verba afferre licet, ut σήπομαι, τήκομαι alia, sed ne nimii videamur satis habemus ea recensuisse singula quae in grammaticis suis libris Curtius atque Krüger attulerunt. ὁρμίζειν primo significasse puto in ancoris esse sicut ἐλπίζειν in spe esse*); postea cum causativa notio activi formis impertiretur (ὁρμίζειν νῆα = efficere ut navis sit in ancoris, eiectis ancoris stabilire navem) intransitiva notio a medii formis tenebatur, ita ut et de hominibus dici posset ὡρμίσαντο, et de navibus sicut nos quoque de utrisque locutione utimur: sie gingen vor anker. Sed non recte Curtius explicare videtur: ὁρμίζεσθαι sich in den Hafen bringen, parum ea explicatio graecae loquendi consuetudini respondet. Aliud ex Homero exemplum hoc loco afferre iuvat; ἔλπω apud Homerum causativam habet notionem efficiendi ut speret aliquis, ἔλπομαι intransitivam significationem sperandi tenuit. Sed non dubito equidem quin primo activum quoque notionem habuerit sperandi, postea cum activi formis causativa notio tribueretur, medium principalem tenuit, illam tamen activi quoque primo vim fuisse ex perf. ἔολπα adhuc cognoscitur. Sed quis dixerit ἔλπομαι significare ich mache mich hoffen? — Nec minus verbi πείθω primariam notionem fuisse iudico intransitivam neque cum Curtio sentio qui Fuldam (Untersuchungen 158) secutus primo hoc verbum habuisse vult vim iungendi ex qua persuadendi notio orta sit (πείθω τὸν νοῦν) sed potius maxime propter perfectum πέποιθα Fickii placet sententia qui (Wörterbuch [2]I, 380) primariam notionem fuisse statuit expectandi, fidendi. Tamen parendi notionem quamquam arctissime cohaereat cum illa Graecis ipsis ab ea diversam visam esse ex futuri forma cognoscitur, nam confidam graece est πείσομαι, sed parebo πεισθήσομαι (cf. Krüger, gr. gr. I, §. 52, 6, 2). — Verbi φαίνω notionem principalem fuisse intransitivam non solum ex perf. πέφηνα vi etiamnunc cognoscitur sed etiam ex similibus linguae sanscritae radicibus; eodemque modo causativam monendi notionem activo ἔμνησα secundariam tributam esse statuerim quod antea non minus quam ἐμνησάμην (ε 6) et ἐμνήσθην (δ 118) intransitivae notionis particeps fuisse videtur. ὀνίνημι denique, si recte a nonnullis cum sanscr. radice nand comparatur (Fick vgl. Wörterbuch [2]112, Fulda Untersuchungen pg. 94 sq.) primo intransitivam habuit notionem gaudendi, cui postea successit transitiva delectandi (cf. Indorum nandâmi = gaudeo, delector cum nandayâmi = delecto). Idem statui posse de verbis οἰκίζεσθαι et ἐγγυᾶσθαι patet, nam οἰκίζειν primum significavit extruere domum, condere urbem, non minus quam οἰκέ-ω, cum quo verbo non solum forma sed etiam significatione arctissime cohaeret (cf. quae de ea re disputavit Curtius Verbum I, pag. 346), tum causative efficere ut aliquis urbem condat i. e. coloniam deducere (ansiedeln); medii igitur notio considendi non ita ex activo orta esse dici potest ut sit »sich ansiedeln« sed sibi extruere domum, sibi condere urbem, locum sibi sedem eligere. Idem valet in verba ἐστειλάμην et ἐταξάμην quae et Curtius et Krüger directam s. vere reflexivam medii notionem exhibere dicunt. Quibus cum communis sit notio collocandi in ordine, zurechtstellen, ἐστειλάμην significare videtur »mihi omnia in ordine collocavi, i. e. me expedivi, me accinxi; sic non solum dicitur στείλασθαι οἴκους, πέπλους,

*) quam quidem significationem ὁρμέ-ω (cf. Curtius Verbum I. pag. 346) semper tenuit.

ἱστία, sed etiam absolute vox usurpatur quod Passow recte explicat »sich (*sibi*) ankleiden, sich anziehen«. Cum hoc verbo comparare licet aor. ἐντυναμένη μ. 18 cf. ζ 33, quod differt ab ἐντύνασα ἓ αὐτήν Ξ 162. Similiter τάξασθαι significat proprie sibi in ordine ponere ut Thuc. II, 83, 5 ἐτάξαντο κύκλον νεῶν; sed cum maxime de instruenda acie usurpetur, non mirum est omissum esse obiectum cum consentaneum sit ἐτάξαντο οἱ Ἀθηναῖοι significare Athenienses *copias suas* instruxerunt. Sequor in ea re Classenii explicationem qui ad Thuc. II, 83, 5 quem locum modo attulimus adnotavit: ἐτάξαντο in der regel one ausgesprochnes object, hier mit dem bestimmten object der aufstellung.

Restant ea verba quae actionem ad corpus agentis pertinentem significant, quibus plerique reflexivam vim inesse voluerunt. Tamen ne id quidem recte statui exposuit Classen Neue Jarbücher für Philol. 79, pg. 302 cum refelleret Ameisii interpretationem vocis ἀνασχόμενος qui eam (ad σ, 95) verteret »nachdem er sich emporgehoben«. Nam cum antea docuisset σχέσθαι aut intransitivam vim habere haerendi — quam eandem activum quoque habere posse ex Iliadis loco (Ν 679) cognoscitur — aut transitivam addito obiecto ita pergit: man war an die verbindung mit einem der üblichen nomina, namentlich χεῖρας so gewönt, dasz auch one die ausdrückliche bezeichnung eines solchen . . die vorstellung des zuschlagens, ausholens vor die seele trat. Es ist derselbe weg, auf dem sich die durchaus transitiven media λούσασθαι ἀπάγξασθαι und ähnliche erklären, namentlich mit der stehend gewordenen ergänzung eines körpertheils wie χεῖρας, τράχηλον u. dgl. Etiam καλυψάμενος sic intellegendum est quod Naegelsbach (ad Γ 141) reflexivam vim habere vult, cum tamen ubicunque aliqua corporis pars velata dicitur medium legatur (Γ 141, Ξ 184, ε 491) ubi totum corpus tectum, passivum καλυφθείς (δ 402). Eodem modo explicanda est aoristi forma ἐνιπλήσασθαι (η 221) ut sit sibi implere ventrem, quae vox illo loco facile suppletur, cum illius ipsius enuntiati sit subiectum. Praeterea semper ἐμπλησθῆναι legitur = satiari, sich saettigen.

Iam cum his exemplis ostendisse nobis videamur eas medii formas quibus reflexivam vim inesse voluerint grammatici longe aliter esse intellegendas quaeritur quomodo factum sit ut paullatim medii atque quaedam activi formae passivam vim in se susciperent. Quod enim dupliciter Graeci passivi notionem reddunt, aut medii formis aut aoristis in -ην atque -θην exeuntibus mirum esset nisi videremus utrique formarum generi intransitivam vim communem esse. Quae cum significaret actionem quae a subiecto profecta non ad aliam rem aut personam pertinet sed in ipso subiecto quasi haeret, aptissima videbatur ad eas actiones significandas quae ab alio profectae ad subiectum pertinent. Omne enim verbum intransitivum in passivum mutari potest addita re vel persona qua auctore illa subiecti actio fit. Iniuria vero v. d. Gabelentz in libello suo quem supra laudavimus linguam graecam in earum linguarum numerum referre videtur quae passivae actionis notionem verbi reflexivi ope significent. Etiamsi enim res ita se habere videri possit medii formas reflexivam notionem habere iudicanti, tamen refellitur illa interpretandi ratio aoristi formis in -θην et -ην exeuntibus, cum non veri simile sit Graecos duplici formarum genere usuros fuisse nisi una illis notio communis fuisset, intransitiva. Nec opus videtur ad reflexivam notionem confugere ut intellegatur quomodo activa in passivam notionem transierit, id quod fecerunt Fick, Zeitschrift f. vgl. Sprachf. XX, 359, et Inama Rivista di filologia 1873 p. 279. Multo simplicius secundum leges ab ipsa lingua traditas ad id negotium intransitiva notione uti mihi videor; an quisquam dubitaverit

quin notio »perdor ab aliquo« a notione »perdit me« rectius derivetur opera notionis »pereo ab aliquo« quam »me perdo«? Quam explicandi rationem si transtuleris in vocem ὄλλυσθαι ὑπό τινι eamque cum activo ὀλλύναι comparaveris omnes difficultates tolli intelleges statuendo intransitivam vocis ὄλλυσθαι vim priorem fuisse transitiva (= causativa) activi notione (cf. ὄλωλα) eamque postea addito auctoris casu passivae notionis vicibus fungi.

II.

Iam cum satis demonstravisse nobis videamur qua ratione passivi notio paullatim ex intransitiva verbi significatione orta sit, disputabimus de passivi formis quas apud Homerum invenimus quibus ea quae supra diximus comprobantur neque sine fructu aliquo nos id opus suscepisse nobis persuademus, quoniam hic quoque facultas nobis praebebitur investigandi in linguae Graecae historiam atque oculis persequendi qua via paullatim Graeci ex antiquissimis temporibus pervenerint ad eam sermonis consuetudinem quam postea attica dialecto florente omnibus communem fuisse videmus. Saepius conati sunt viri docti aoristorum in -θην et -ην exeuntium formas ita explicare ut passivam notionem quam principalem inesse statuebant in syllaba -η et -θη inesse dicerent eamque cum verborum ἵημι et τίθημι radicibus compararent (Bopp, vgl. gramm. II², §§. 630. 631. Curtius, zeitschr. f. vgl. sprachf. I, 25—27); sed recte primus Haacke eas formas intellexisse videtur cum negaret Boppii atque Curtii sententiam probari posse atque diceret: das eigentümliche dieser aoriste besteht in der weiterbildung der wurzel oder des stammes durch -ε oder -θε*). Post eum Schleicher quoque (compendium der vgl. spr. ⁴ §. 300) eandem explicationis viam indicavit, quem Curtius in libro suo nuper edito**) secutus est. Recte ille vir pg. 351 monuisse videtur: »wir müszen es aufgeben die angefügte sylbe als das unmittelbare zeichen der im gebrauch hervortretenden bedeutung zu betrachten. man war sich früher nicht genug der kluft bewuszt, welche zwischen der entstehungszeit einer kategorie von formen und irer oft viel später sich fixierenden verwendung besteht«. Ea mihi quoque sola interpretandi ratio videtur cum multis exemplis probetur passivam vim neque principalem neque unam in illis formis infuisse. De singulis ne acta agere videar satis habeo ad ea delegasse quae Curtius in illo libro de ea re disputavit. Pauca vero addenda sunt quae in pervestigandis illis formis nobis occurrerunt. Nam omnes quidem et quas ex Homero attulit et quae apud posteriores scriptores leguntur aoristi in -ην exeuntis formae fictae sunt verbi stirpe ε litera aucta. Sed duas formas eodem referendas iudico quae quamquam stirpem alia litera auctam exhibent, tamen ab his separari non posse videntur. Priorem nomino imperativi formam ἵληθι. Huius vocis penultimam plerique statuunt praeter consuetudinem productam esse ex ἵλαθι quod invenitur quidem sed apud posteriores demum poetas, Theocritum, Apollonium Rhodium

*) l. l. pg. 52 sq.
**) griechisches verbum II, 331.

quibus temporibus illa forma iam obsoleverat; Homeri tribus locis (γ 380, π 184, hymn. XX, 8) legitur ἴληθι, quarto (hymn. XXXIV, 17) dubitatur utrum rectius secundum Ruhnkenium ἴλαθι an secundum Hermannum ἴληθ' legatur pro ἴλαθ' quod codex tradidit. Quam formam si comparamus cum formis ἱλάομαι, ἴλαμαι (ἱλάσκομαι) eandem rationem intercedere videmus inter eas formas atque inter ἐδάμην (ἐδμήθην) et praesens δαμάω. Et cum indicativus * ἴλημι non magis inveniatur quam * δάμημι nihil nos impediet, quominus ἴληθι aoristum esse statuamus. Quod radix vocalem ι productam tenuit quae eadem in praes. ἱλάσκομαι est longa huic explicationi non obstat cum v. πλήσσω quoque eandem syllabam longam tenere videamus (ἐπλήγην) nec minus participium verbi ἱάλων semel (Ε 487) eandem productam exhibeat, quod syllabae tempus Buttmann (ausf. grammatik s. v.) principalem fuisse statuit. De etymologia eius verbi cum adhuc sub iudice lis sit vix meum fuerit aliquid proferre quod possit probari; Brugman (studien IV, 119 sq.) qui idem esse statuit atque Aeolensium ἔλλαθι eas formas coniunxit cum Homerica forma οὖλε derivandasque censet a verbo inusitato σελϝάω = lat. salveo. Tamen Curtio non probatur qui (griech. verb. I, 173) Ahrensio potius assentitur non iniuria dubitanti (de dial. aeol. 284) num utrumque verbum eidem radici ascribendum sit. Gerth iam antea (studien I[b], pg. 217. n. 59) radicem eius vocabuli esse voluit is, cuius notio optandi, cupiendi facile transire potuerit in benevolentiae significationem. Ea explicatio quae iam antea Christio (lautlere 109) placuerat, non videtur probari viris doctis. Sed utcunque res se habet id quidem dici posse videtur eandem rationem intercedere inter ἱλάω (ἱλάομαι) = placo atque formam ἴληθι, quae sit inter δαμάω et ἐδάμην (δάμηθι) ita ut ἴληθι sit »lasz dich versönen, propitiare, propitius sis«, nec aliter ad Deos conversi precantur „ἴληθι" quam Ι 158 Agamemno cum Nestore de Achille colloquens dicit: δμηθήτω. Iam ut hanc totam quaestionem hoc loco ad finem perducamus restat ut de formis ἱλήκησι, ἱλήκοι verba faciamus. Diu dubitatum est utrum a perfecto ἵληκα essent derivandae an a praesente ἱλήκω. Veteres grammatici quidem perfecto ascribebant ut Buttmann qui in priore grammaticae plenioris editione pg. 156 dicit: die active form hat in der alten sprache die bedeutung gnädig sein, daher bei den epikern ἴληθι und coni. u. opt. aus der perfectform ἱλήκω, ἱλήκοιμι. Duplex ex ea interpretandi ratione difficultas oriri mihi videtur; primum non explicatur quomodo fieri potuerit ut notio »placandi« inesset medio, activum significaret »propitius sum«, tum quomodo formae ἱλήκησι, ἱλήκοι pro ea quae in iis insit vi perfecto attribui possint. Kühner (ausfürliche grammatik I, 839) idem perfectum esse vult. Dissentiunt L. Meyer vgl. gramm. I, 356 qui haec habet: in . . . ἱλήκω ich bin gnädig neben ἴληθι sei gnädig löst sich das κ leicht ab und scheint erst ein verhältnismäszig junges element zu sein, das vielleicht mit dem in der griechischen und lateinischen verbalbildung so gewönlichen σκ (ἱλάσκομαι ich versöne mit mir) im grunde dasselbe ist. Idem Meister (studien IV, 438) iudicat qui hanc vocem in reliquorum thematum κ litera auctorum numerum refert. Curtius cum in libro suo griech. etymologie [4] pg. 64 dubitaret utrum ἱλήκησι referendum esset ad perfectum an ad praesens in recentiore libro (griech. verbum II, 207) de hac forma dicit: die bedeutung ist φ 365 ebenso wenig perfectisch wie die des optativs im hom. hymnus in apoll. delph. 165; wir sind daher nur berechtigt ein praesens ἱλήκω anzunemen, dessen κ nicht über diesen tempusstamm hinausreicht. Contra Buttmannum quidem recte monuisse videtur vir doctus, non inesse perfecti notionem, si quidem ille praesens

quoque tempus significare vult »sum propitius«, sed si recte disputavimus, quae supra scripsimus, ut sit notio propria placandi, atque forma *ἵλην (ἵληθι) passive intellegenda = placatus sum (ich liesz mich versönen), quis negabit, ἵληκα perf. significare posse placatus sum (ich habe mich versönen laszen), id est sum propitius factus. Quae ratio intercedit inter ἔστην et ἕστηκα, ἐδάην et δεδάηκα, ἑάλων et ἑάλωκα, eandem inter ἵληθι et ἱλήκῃσι intercedere posse apparet. Sed alia praeterea res me movit, ut ἱλήκῃσι perfectum esse statuerem. Apud Hesychium II, pg. 354 (rec. M. Schmidt) lin. 24 legitur glossa: ἱλαότι· ἱλαρῷ, ἱλέῳ. Cum sine dubio nom. ἱλαώς sit part. perfecti eique secundum Hesychii testimonium vis eadem insit, quae est in ἵλαος (ἱλαρός), facile adducimur ut hanc participii formam comparemus cum illis Homeri formis ἱλήκῃσι, ἱλήκοι, atque eo magis quod earum significationem prorsus eandem esse videmus. Nam cum perfecta illa, quae formas primarias q. v. exhibent (ἕσταμεν, βέβαμεν, τέτλαμεν) adeo cum perfecti secundariis formis in κα exeuntibus cohaereant, ut tempus esset, quo illa ex his imminuta statuerent viri docti, causam equidem non video, cur tam obstinate ἱλήκῃσι, ἱλήκοι perfecta esse negemus. forma ἱλαότι igitur cum ἱλήκῃσι non minus comparanda est quam βεβαότες cum βέβηκα. Miror quod ab nullo eorum, qui ἱλήκῃσι perfectum esse negaverunt, huius participii formae mentio facta est, quae sine ulla lectionis varietate in illo lexico invenitur. — Alterum verbum quod nobis in aoristi passivi formis recensendis silentio praetermittendum non videtur ἑάλων est. Statuimus enim non solum formas litera ε auctas ex notione intransitiva in passivi significationem abiisse, sed etiam formas, quarum radix a et o litera creverit. Si formam ἵληθι recte ad aoristum passivum revocavimus quam ex themate ἱλα ortum videmus, non mirum est, etiam formis thematis ω litera aucti passivam inesse vim. Neque enim dubito, quin ea quoque passiva significatio orta sit ex intransitiva et sicut *ἄλημι (aug. ἐάλην) primum significat se contrahere, ut *N* 408 τῇ ὕπο πᾶς ἐάλη, postea autem ἀλήμεναι idem est quod ἀθροισθῆναι, eodem modo ἑάλων quoque primo significabat incidi in angustias. Iniuria igitur Curtius hunc aoristum seiunxisse mihi videtur ab ea disputatione quam II, pg. 333 instituit de aoristis in -ην, dicens: so möchte nicht leicht jemand einen grund dafür auffinden, weshalb der aorist ἁλῶναι neben ἁλώσομαι und ἑάλωκα zu seiner scharf passivischen geltung gelangte, und man könnte solche beispiele benutzen wollen, um für unsere passivstämme ebenfalls jedes fragen nach ihrer begründung von der hand zu weisen. Mihi vero sic videtur: si unum haberemus aoristum ἑάλων cum perf. ἑάλωκα, sane difficile esse explicatu, quomodo esset factum, ut in passivi notionem eae formae transirent, sed cum in tot aoristis in -ην exeuntibus passivi notionem inhaerere videamus eamque ex intransitiva ortam demonstrare possimus non intellego, cur vocis ἑάλων significatio magis mira sit quam reliquarum. Quid autem de perfecto ἑάλωκα sit iudicandum infra videamus.

In reliquorum verborum in -ην exeuntium numero duo sunt verba, de quibus dubitatur, num Homero recte tribuantur, ἐλίπην dico et ἐτράφην. Λίπεν *Π* 507 Aristarchi lectio traditur fuisse, de qua schol. A. annotavit: διὰ τοῦ ε λίπεν, ἐπειδὴ τὰ ἅρματα τῶν ἀνάκτων ἐλείφθησαν, ἠρημώθησαν. Ζηνόδοτος δὲ διὰ τοῦ ο λίπον. Aristarchi lectionem secuti sunt Wolfius, Spitznerus, La Rochius, Zenodoti recepit cum Bekkero Dindorfius. Cum non mediocris interpretandi difficultas oriatur, ubi Zenodoti lectio defenditur, facere non possumus, quin hoc loco lect. λίπεν quae quidem Aristarchi auctoritate satis fulciri nobis videtur

recipiamus neque illud nos deterrebit, quod apud Dionem Cassium demum semel ἀπολειπῆναι exstat, quam formam Dindorfius etiam in ἀπολείπεσθαι mutari voluit, cum nihil sit, quod in forma per se spectata reprehendamus*). — Altera de qua pauca afferenda erunt est forma aoristi ἐτράφην. Cuius verbi aoristus activi ἔτραφον cum intransitivam (s. passivam) notionem exhibeat, Curtius dubitat**) an aoristi ἔτραφον formae ex Homeri carminibus eliminandae sint, cum ubique sine ulla difficultate activi formae restitui possint. Sequitur in ea re Buttmannum, qui A. Gr. II², 307 putat, formas aoristi ἐτράφην fortasse paullatim ex posteriorum loquendi consuetudine in Homeri carmina irrepsisse, relictas tantum eas formas quas ut τραφέμεν, τραφέτην ex aoristi passivi vocali correpta ortas iudicavissent. Plerisque locis sane concedi potest eodem iure activum scribi quo passivum, nonnullis etiam maiore, ut *B* 661, tamen dubito num *Γ* 201 pro τράφη ἐν δήμῳ Ἰθάκης rectius scribatur τράφεν ἐν δήμῳ, cum similis sonitus syllabarum — φεν ἐν melius evitetur; sed *Ψ* 84 Aeschines (cf. Tim. §. 149) potius corrigendus videtur, qui cum post v. 83: μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀστέ', Ἀχιλλεῦ, hos duos versus:

ἀλλ' ἵνα πέρ σε καὶ αὐτὸν ὁμοίη γαῖα κεκεύθῃ
χρυσέῳ ἐν ἀμφιφορεῖ τόν τοι πόρε πότνια μήτηρ·

sive ipse sive alio auctore adductus inseruisset, versum quoque 84 (ἀλλ' ὁμοῦ ὡς ἐτράφημεν ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν) immutare coactus est et cum aoristi passivi vocalem corripi posse putaret ἐτράφομεν pro ἐτράφημεν scribere non dubitavit, quod ut faceret mutata metri forma eum adduxit; cum enim vox ἀλλά ex hoc versu ablata esset, primum ὡς in initio collocandum et mutata vocis ἐτράφημεν forma syllaba inserenda fuit, unde περ apud eum additum videmus. Sed quod Buttmannus scribi voluit ὡς δ' ὁμοῦ ἐτράφομέν περ .... illud neglexisse videtur post antecedentem vocem μή particulam δέ non satis fortem esse, sed potius ἀλλὰ requiri, ut habet Homerus λ 442 sq.:

μή οἱ μῦθον ἅπαντα πιφαυσκέμεν...
ἀλλὰ τὰ μὲν φάσθαι cet.

ut ipse Aeschines h. l. legit:

μὴ ἀπάνευθε τιθήμεναι
ἀλλ' ἵνα πέρ σε καὶ αὐτὸν ὁμοίη γαῖα κεκεύθῃ.

Neque illud nos movebit, quod dicit ὡς rectius in initio versus poni ut opponatur seq. ὡς (v. 91), nam haec vox non tam ad antecedens ὡς ἐτράφημεν ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν referenda videtur, sed cum interea poeta oratione latius quasi vagatus esset, versibus 89—90 ad initium rediisset, dicendo:

ἐν δώμασιν ἱππότα Πηλεὺς
ἔτρεφέ τ' ἐνδυκέως —

ad *haec* verba referenda videtur sequens particula ὧς. Prima vocis ἐτράφημεν syllaba correpta denique »eo minus offendet, quo crebrius evenire solet idem« de qua re vid. Spitzner de. v. her. 95. Neque omnino causa adesse nobis videtur, cur Homero eam aoristi formam abrogemus, cum post eum illam formam usitatissimam fuisse constet neque eam subito

*) alteram difficultatis tollendae rationem infra (pg. 15 in.) indicabimus.

**) Verbum, II, 324.

receptam esse verisimile sit. Tenenda igitur videtur tradita lectio, ita ut aoristo activi passivam vim inesse solum *Β* 661 (*τράφ' ἐνί*) *Η* 199, *γ* 28 (*γενέσθαι τε τραφέμεν τε*) *Ε* 555 (*ἐτραφέτην*) statuamus.

Alterius aoristi in -*θην* exeuntis formas quae plurimae apud Homerum reperiuntur singulas recensere longum est. Sunt autem omnes 138 numero, in quibus tres quidem sunt dubiae, quae in singulis tantum codicibus et a scholiastis pro variis lectionibus afferuntur; sunt eae *καμφθήτω* pro *δμηθήτω* (*Ι* 158), *ἀνηχθήτην* pro *ἠιχθήτην* (*Ω* 97), denique *ἐξελύθη* v. l. Zenodoti (*Ε* 293) quod etiam in textum Spitznerus recepit. Postremo formae *ἀμπνύνθη* mentionem faciamus quae *Ε* 697, *Ξ* 436 (v. l. *ἐμπνύνθη*) invenitur, non ut explicemus, quomodo *ν* litera in hanc formam irrepserit, sed ut eam reliquis a Curtio (verbum II, pg. 338) recensitis adiciamus una cum *ἰθυνθήτην*.

Relinquitur iam, ut ad comprobandam eam quam supra attulimus sententiam praeter eas de quibus supra diximus aoristi formas, alias activi formas afferamus, quarum vis aoristi passivi notioni respondeat, atque primum dicamus de iis verbis, quae stirpem similiter aoristo passivi amplificatam exhibent. Aoristis *ἐῤῥύην* et *ἐχάρην* respondent *ἐῤῥύ-η-κα* et *κεχάρ-η-κα*. Praeterea: 1) *εἵληκα* (*ἱλήκησι*, *ἱλήκοι*, cf. *ἱλαότι*) de qua forma quid nobis videatur imprimis cur perfecto eam ascribendam iudicemus supra exposuimus. 2) *δεδά-η-κα* (*θ* 134, 146, *δεδαηκώς* *β* 61) quae forma respondet aoristo *ἐ-δά-η-ν* etiam significatione. Nam aoristi *δέδαον* et *ἔδαον* quidem causativam in se vim susceperunt*), omnes reliquae huius verbi formae et activi generis et medii intransitivam significationem tenuerunt (cf. *δέδαα*, *δεδάηκα*, *ἐδάην*, *δαήσομαι*, *δεδάημαι*); quare errare videntur qui doceant *δαῆναι* *passive* significare doceri. — Restat 4) *ἑάλωκα* de cuius aoristo iam supra diximus. Cum in explicandis formis non id a nobis poscatur, ut iis syllabis aut literis quibus lingua usa sit ad formas effingendas, simul suam cuique formae significationem quam postea tenuit impressam esse demonstremus, tum illud a proposito nostro alienum videtur, ubicunque quaeritur, quomodo intransitiva vel passiva notio in formam aliquam collata sit; neque offendemus in forma activa passiva notione praedita, atque eo minus quo magis eandem vim in aliis similibus formis inhaerere videmus. Comparemus

ῥυ-ή-σομαι - *ἐῤῥύ-ην*, *ἐῤῥύ-η-κα*
(*χαρή-σομαι*) - *ἐχάρ-η-ν*, *κεχάρ-η-κα*
δα-ή-σομαι - *ἐδά-η-ν*, *δεδά-η-κα*
(*ἴλ-η-θι*), *εἵληκα*
ἁλ-ώ-σομαι - *ἑάλ-ω-ν*, *ἑάλ-ω-κα*;

cum non tam addita syllaba -*η*- effectum sit, ut his formis sua notio tribueretur quam

---

*) quod Matthiae Krüger Kühner in libris suis grammaticis, Veitch in lexico (greek verbs) s. v. *δάω* tradunt apud Theocritum XXIV, 127 (non 128 ut habent Krüger et Kühner et Veitch) *ἔδαον* intransitivo seu immediativo quem vocant sensu discendi legi, neglegentius alter ex alterius libro exscripsisse videntur; nam cum Herculis magistri illo loco enumerentur (v. 103 *γράμματα τὸν παῖδα Λίνος ἐξεδίδαξεν*, v. 107 *ἀοιδὸν ἔθηκεν Εὔμολπος*, rel.), v. 125 sq. pergatur *κοσμῆσαί τε φάλαγα λόχον τ' ἀναμετρήσασθαι Κάστωρ ἱππαλίδας ἔδαεν*, facile intellegitur hic causativam ei formae inesse vim, qua de causa Ahrens et Fritzsche in edit. suis *δίδαεν* scripsisse videntur.

consuetudine loquendi, quae has formas plerumque intransitivas esse voluit, facile intellegitur idem fieri potuisse in radice vocali ω aucta, cui formae postea passiva notio tributa est.

Sed praeter has formas quas in initio posuimus, quod aoristi passivi formae similes esse videbantur magnus numerus invenitur perfectorum, quorum intransitiva vis ea est, ut vel maxime cum passiva comparari possit.

1) *βεβαρηότες οἴνῳ* legitur γ 139, *βεβαρηότα με φρένας οἴνῳ* τ. 122, vino onerati, oneratum. Respondere posset aoristus **ἐβάρην*, qui non extat; *βαρέω* autem non intransitivam notionem retinuit, sed abiit in causativam onerandi, sicut *βαρύνω*, cum intransitivae significationi servaretur *βρίθω*. — 2) Similiter *κεκορηώς* legitur σ 372 *κεκορηότε ποίης*, satiati herbis; cum plerumque *κεκόρημαι* dicatur (Σ 287, Θ 98). — 3) *τετρηχυῖα* Η 346 de concione, *τετρήχει* Β 95, perturbatum esse, cum posteriores scriptores plerumque medii forma *τετάραγμαι* utantur. — Similiter 4) a praesente *τεύχω* derivatur perfectum *τέτευχα*, *τετευχώς*, passiva sive intransitiva notione μ. 423, *ἐπίτονος βοὸς ῥινοῖο τετευχώς*, e corio factus. — 5) *πέπηγεν ἔγχεα μακρά*, hastae fixae sunt Γ 135 a praesente *πήγνυμι* figere. — 6) *κλαίουσα τέτηκα*, lacrimando liquefacta sum Γ 176. — 7) *ἄρηρα*; e. gr. *ἐν αὐτῷ στειλειὸν — ἐλάϊνον εὖ ἐναρηρός* ε 236, bene infixum; s. *μέσσῃ δ' ἐνὶ πῖλος ἀρήρει* Κ 265, pilus insertus erat. — 8) a radice *γεν*, quae modo causat. gignendi notionem habet, ut in aor. *γείνατο*, modo nascendi ut in *ἐγενόμην*, perfectum activum *γέγονα* extat, quod etiam prosae orationis scriptores retinuerunt, ut Τ 122 *ἤδη ἀνὴρ γέγον' ἐσθλός* iam natus est vir. Similiter *γέγαα* a breviore radice *γα*. — 9) *ὄλωλα* activum cum eandem notionem exhibeat quam medium *ὠλόμην*, cui passivi notionem inesse nemo negabit (cf. *σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο*, *Ἀπόλλωνος βελέεσσιν ὀλέεσθαι* Φ 278) eodem referendum videtur.

Multa quidem praeterea extant apud Homerum verba, quorum perfecti activi significatio respondet praesenti medii, ut *ἔολπα*, *ὀρώρει*, *ἐγρήγορθε*, *πέποιθα*, sed ea tantum afferre mihi proposueram, quorum notio cum passivi comparari posset. Reperiuntur apud Atticos quoque eiusmodi activi formae, sed plurimae ex iis, quas supra enumeravimus, aetatem non tulerunt et quibus quidem verbis passiva notio aperte inhaerebat ea in passivam formam transierunt. Sic Aristoteles cum τ 122 laudaret (Probl. XXX, 1) pro *βεβαρηότα* non dubitavit scribere *βεβαρημένον*, sine dubio non librorum auctoritate nixus, sed quod usui cotidiano activa forma cui passiva vis inesset, repugnare videbatur; *κεκορηώς* iam apud Homerum rarius invenitur quam *κεκόρημαι*; *γέγονα* quidem et *γεγέννημαι* etiam ab optimis scriptoribus promiscue usurpantur, sed paullatim notionis passivae origo adeo in oblivionem venit, ut omnis communio inter activi formas et passivi notionem tolleretur et apud posteriores scriptores etiam *πέπηγμαι*, *τέτηγμαι*, *ὀλώλεσμαι* inveniamus.

Restant nonnullae aoristi II. activi formae, quae vi passiva suscepta a reliquis activi sui formis differunt. Iam supra disputavimus de aor. *ἔτραφον*, quem apud Homerum ita notioni passivae attributum vidimus, ut etiam dubitaretur, num aor. *ἐτράφην* ei usitatus fuisse dici posset. A verbo *ἐρείκω* quod habet notionem scindendi vel rumpendi formatur aor. *ἤρικον* passiva vel intransitiva notione: Ρ 295 *ἤρικε δ' ἱπποδάσεια κόρυς περὶ δουρὸς ἀκωκῇ* et similiter aor. *ἤριπον* a praes. *ἐρείπω* apud Homerum semper intransitivam notionem exhibet. Π 657 *φύγαδ' ἔτραπε* eodem sensu quo ο 80 legitur *τραφθῆναι ἀν' Ἑλλάδα*. Et cum plerumque facillimum sit aor. activi formas in passivas mutare, posterioribus autem temporibus

intransitiva (passiva) notio plerumque formis in -ην et -θην exeuntibus contineretur, mihi quidem dubium non est, quin iam antiquissimis temporibus quaedam aoristi activi formae, cum in iis vis passiva (vel intransitiva) inesse non posse videretur, in passivas mutatae sint. Mentio hic facienda est formae ἀπέφθιθον quam cum tribus locis (ε 110. 133. η 251) a codicibus traderetur Buttmann a. gr. II[1], 250 corrigendam monuit in -έφθιθεν, Rumpf vero traditam lectionem defendit, A. Wentzel (qua vi posuit Homerus verba quae cadunt in θω pg. 6) quamquam propter codicum auctoritatem reiciendam statuit, tamen per se non improbandam docuit*). Nec minus dubitari potest, an ἔτμαγον quod Λ 531, ν 439 codicum auctoritate fulcitur contra Aristarchum possit defendi, atque etiam ἔφανον quod olim Π 299 (Θ 557) legebatur, nunc correctum est in ἔφανεν, denique an λίπον de quo supra disputavimus, retineri atque vim passivam habere dici possit. Id quidem dubium non est, quin Aristarchus probaverit illis locis lectionem διὰ τοῦ ε neque id ago, ut lectionem διὰ τοῦ ο revocem, id tamen non absurde statui posse videtur apud veteres Graecos illis quoque aoristis activi non ita raro passivam notionem infuisse, postea invalescente passiva notione atque formis in -ην (-θην) eam notionem sibi solis vindicantibus paullatim evanuerunt formae illae aoristi activi, ita ut vix vestigium relinquerent, cum plerumque, ut identidem vidimus, facillimum esset activi aoristi formam mutare in passivam. Eam ipsam ob causam aoristi verborum in μι exeuntium tenuerunt significationem intransitivam, ut ἔστην, ἔσβην quae illis periit, cum propter similitudinem ultimae syllabae passivi aoristis respondere viderentur.

III.

In initio disputationis nostrae exposuimus saepissime factum esse ut, cum activum causativam notionem susciperet, medii formae principalem vim tenerent, quoniam natura necessitudo quaedam intercederet inter mediales formas et intransitivam notionem. Itaquc eum passiva notio eas maxime formas sequeretur, in quibus inesset notio intransitiva, mirum non est, quod paullatim omnes medii formae passivam notionem in se susceperunt. Sed cum iis quoque aoristi formis quae in -ην et -θην cadunt propria esset vis intransitiva simulque passiva, consentaneum est ab aoristi medii formis eam passivam vim paullatim subductam atque ad formas in -ην et -θην exeuntes delatam esse. Est enim illud linguae proprium, ut duas formas eandem notionem promiscue habere nolit, adeo ut ubicunque binae formae eandem notionem significantes extant, facilius alteram evanescere quam ambiguitatem oriri patiatur; itaque quamquam, si rem per se spectamus, et aor. med. et aor. passivi intransitivam et passivam vim habere poterant, tamen ne perspicuitas sermonis minueretur suam utrique notionem separatim tribuerunt. Sed ut Homeri lingua aliis permultis rebus a posteriorum Graecorum

*) Lex. Hom. rec. Ebeling s. v.

loquendi usu differt, ita aoristi quoque passivi notionem aliis formis tribuit. Nam posterioribus temporibus usu recipiebatur ut passiva notio aoristis in *-ην* vel *-θην* exeuntibus solis inesset, medii aoristi activae tantum significationis participes essent. Sed ex iis quae supra disputavimus, cognoscitur tempus fuisse quo hi non minus passivo sensu usurparentur; et recte nos iudicare Homeri carmina ipsa satis multis exemplis probant, cum plurimae in iis inveniantur formae, quae in vulgari sermone nisi sensu mediali usurpari non poterant, quibus tamen Homerus passivam notionem tribuit. Sunt autem tria genera earum aoristi formarum, quae praeter posterioris sermonis regulas notionem passivi apud Homerum retinuerunt; ac primum quidem eas enumerabimus, quae in numerum verborum in *μι* cadentium referendae videntur. Sunt autem hae: *ἀπέκτατο* semel, saepius *(ἀπο-) κτάμενος*; *βλήμην*, *βλῆτο*, *βλήεται*, *βλῆο*, *βλήμενος*; *πλῆτο*, *πλῆντο* admotus est; *πλῆτο* (*ἐν-*) repletus est; *ὄνητο* (*ἀπ-*), *ὀνήμενος*; *κτίμενος*; *λύτο*; *σύτο*; *χύτο*; *ἄρμενος*; *ἐλέλικτο*; *λέγμην*; *μῖκτο*; *πῆκτο* (Buttmann huc *μιάνθην* quoque refert (Δ 146). — Vario modo eas explicare conati sunt viri docti. Cum enim adducti non solum ea regula, qua secundum posteriorum temporum loquendi usum docetur aoristi medii formas passivam notionem habere non posse, huic formas in *-ην* et *-θην* exeuntes reservari, sed etiam quod parum perspexerant, quae ratio intercederet inter formam primariam *ἔλυτο* et secundariam *ἐλύετο*, *ἐλέγμην* et *ἐλεγόμην*, illas formas aoristo tribui non posse censerent, plerique eas ex perfecti sive plusquamperfecti formis proiecta reduplicatione ortas esse voluerunt. Una praeterea res grammaticarum rerum scriptores movit, ut has formas perfecta esse statuerent, significationem dico quam nonnullis participiis inesse videbant, quam dubitabant num aoristo recte tribuere possent. Formas *ἄρμενος*, *κτάμενος*, *κτίμενος*, *βλήμενος* dico. Disputavit de ea re pluribus Classen in libello »beobachtungen über den homerischen sprachgebrauch« qui pg. 103 ita scripsit: auf passivem gebiet tritt uns eine erscheinung entgegen, welche in der grammatik noch nicht ire volle würdigung gefunden hat, wir meinen die bekannte tatsache des epischen dialects, dasz den one bindevocal gebildeten activen aoristen auf *ν* eine anzal von aoristen mit der passiven form auf *μην* zur seite treten, welche aller analogie nach in der bedeutung dem medium sich anschlieszen müsten, zum teil aber zu unzweifelhaften passiven geworden sind, wie die epischen aoriste *ἔκτατο*, *πλῆτο*, *χύτο*, *λύτο*. . . . Sie verdienen besonders eine genauere betrachtung in ihren participien. Da nemlich im epischen dialect bei einigen participiis perf. passivi eine zurückziehung des accents eintritt . . . . und die augmentirung schwankungen unterliegt, so kann es formell zweifelhaft sein, ob participien wie *κτάμενος* und *οὐτάμενος* dem aorist oder dem perfect angehören. grade in dieser unsicherheit bietet die syntactische betrachtung einen anhalt, den die etymologische versagt. In iis quae sequuntur demonstrare conatus est *οὐτάμενος* semper habere perfecti notionem, formam *κτάμενος* quae decies septies apud Homerum legitur, omnibus quidem locis perfectum esse iudicari posse, tamen tribus rectius aoristum intellegi, *βλήμενος* denique aoristum esse atque accurate a perfecto *βεβλημένος* esse discernendum. In eorum numerum referendi sunt praeterea *κτίμενος*, quod iam apud Homerum prorsus in adiectivi notionem abiisse probatur composito *ἐϋκτίμενος*, *ἄρμενος* quam formam Classenius perfectum esse vult, cuius reduplicatio proiecta et accentus ad antepenultimam reductus sit, denique *φθίμενος* quoque huc refert Ameis app. ad *π* 106. Atque primum quaeritur, num omnino in lingua Graeca reduplicatio ita omitti possit, ut pro

ἐκτάμενος, ἐφθιμένος cet. dicatur *κτάμενος, φθίμενος; ἄρμενος* pro *ἠρμένος*. Qui ita docebant sibi persuaserant syllabam *ε*- quae in perfecto saepissime reduplicationis plenae vicibus fungitur esse augmentum, et cum augmentum apud Homerum omitti posse viderent, illud quoque interdum omitti posse facile concedebant. Sed cum hodie constet illam syllabam specie tantum augmento parem esse, re vera mutilatam esse ex plena reduplicatione, multo maior dubitatio existit, num participia illa ad perfectum referri possint. Atque Curtius (verbum II, pg. 144) ostendit vix unum exemplum verbi a consonante incipientis ex omnibus veterum libris afferri posse, quod reduplicationem omissam exhibeat et cum tum demum significationis auxilio uti liceat, ubi propter ambiguitatem formae dubitatio oritur, non iam cum Classenio statuendum erit propter singularem quae iis insit significationem illas formas perfecto esse tribuendas, sed quaerendum quomodo fieri potuerit, ut participia aoristi *κτάμενος, ἄρμενος* alia in illam significationem abirent. Et cum vocis *ἄρμενος* apud Homerum usum perpendentes maxime cognoscere possimus, non solum eam non perfectum iudicandam esse, sed etiam non mediocriter ab ipsius perfecti significatione differre, ab hac initium disputationis faciamus. Sed antea Classenium audiamus quid doceat de similibus formis quas ipse aoristos esse voluit. Nam in eorum aoristi participiorum numerum quae attributive usurpantur praeter *θανόντες καμόντες φθίμενοι καταδύντα* refert *ἀγρόμενοι οὐλόμενος ὀνήμενος*. Recte quidem explicat quomodo intellegenda sint; de *ἀγρόμενοι* dicit: »genau genommen ist nicht das versammelt sein der tiere und menschen, die versammelten, damit ausgedrückt, denn dafür wäre das part. perf. notwendig; es heiszt eigentlich überall: unter und mit denen, die sich zusammengeschaart haben, wobei allerdings als natürliche folge ihr zusammenbleiben hinzugedacht wird«. Mittimus ea quae praeterea de *οὐλόμενος* et *ὀνήμενος* participiis disputavit, sed cum in his ipsis participiis observare possimus, quomodo factum sit, ut notio qualitatis, quam in *οὐλόμενος, ὀνήμενος* inesse nemo negabit, ex actionis notione quae in aoristo inest oreretur, cogimur ut in aliis quoque verbis concedamus idem fieri potuisse; et sicut praeterea Graecis ea quae saepius facta sunt semper ita fieri videntur (cf. aor. gnomicus q. voc.) ita participia quoque, quae primo actionis notionem habebant, in adiectivi qualitatem significantis notionem mutari potuisse consentaneum est. Sic dicitur *ε* 254 *ἱστὸν ποίει καὶ ἐπίκριον ἄρμενον αὐτῷ;* in voce *ἄρμενον* per se spectata inest notio actionis; antennam quae malo adaptabatur, proprie *ἥ ἤρτο* (= *ἤρθη*) *αὐτῷ*, ab Ulixe s. fabro; sed ubi ille antennam adaptavit, id est eam formam antennae tribuit, eam ita ex ligno exsculpsit, ut malo adaptaretur, non iam mutatur, formam a fabro datam tenet, ita ut participium aoristi huius verbi per se iam significare videatur statum. Itaque participium *ἄρμενος* ubique usurpatur de rebus quae opificis manibus elaborantur, de rota figuli, de securi, quod utrumque instrumentum *ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν* vocatur (*Σ* 600. *ε* 234). Illud ipsum additamentum docet perfectum hic expectari non posse, neque enim ita manibus adaptata dicitur rota figuli aut securis, ut manubrium asciae adaptatum seu infixum haeret: *στειλειὸν περικαλλὲς ἐλάινον εὖ ἐναρηρός* (*ε* 236), sed *ὡς ὅτε τις τροχὸν ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν ἑζόμενος κεραμεὺς πειρήσεται* significat qualitatem quidem rotae, est rota habilis, at propterea habilis quia ab opifice bene scalpebatur, ut aptaretur manibus (= *εὐήρης*, cf. *εὐῆρες ἐρετμόν*). A se ipso igitur discat oportet Classen *ἄρμενος* non esse perfectum sed aoristum, ita tamen ut notio

actionis quae non minus inerat quam in *οὐλόμενος* mutaretur in qualitatis notionem. Idem iudicandum est de voce *ἐΰ κτίμενος**). Dicitur apud Homerum de oppido, insula, domo, agro, omnino de rebus, quae fiunt arte (lex Hom. s. v.) quaeque eam tenent qualitatem, quam iis tribuit auctor actionis, ita ut actionis notio statim mutetur in qualitatis notionem. Ubi cives oppidum bene seu opportuno loco condiderunt, recte opportune sita dicitur. — Similiter usurpatur participium *κτάμενος* *Γ* 375: *ἱμάντα βοὸς ἶφι κταμένοιο* ubi perfectum esse voluit Classen**). Miror non vidisse virum doctum hic non id agi poetae ut narret illum bovem de cuius cute lorum factum sit necatum esse per vim, i. e. mortuum seu dissectum esse, sed erat ille bos de quo factum erat lorum, corpore robusto (*βοῦς ἐνέωρος*), ita ut non sine magno labore interfici posset, unde concludere possis lorum a Dea ruptum fuisse firmissimum; sicut *α* 108 pro *ἥμενοι ἐν ῥινοῖσι βοῶν οὓς ἔκτανον αὐτοὶ* dicere poterat: *βοῶν ὑπ' αὐτῶν κταμένων* ita hic non minus recte dixisset: *ἱμάντα βοὸς ὅς ποτε ἶφι ἐκτάθη;* bovem illum validissimum fuisse nobis demonstrat narrando eum cum interficeretur mactantibus difficultates praebuisse. Simillimus est alius locus *Χ* 72, ubi *νέῳ ἀρηικταμένῳ* perfectum esse vult vir doctus, eo magis quod sequatur *δεδαϊγμένῳ* perfectum; at sequente versu legitur aoristus atque ita ut sine dubio respondeat antecedenti *κταμένῳ*, — *νέῳ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν ἀρηϊκταμένῳ — πάντα δὲ καλὰ θανόντι περ.* Quod de versu 71 diximus idem pertinet ad sequens exemplum quod affert Classen *Χ* 75 — *Φ* 146 *κεχόλωτο δαΐ κταμένων αἰζηῶν*. Si *δαικταμένων* scribitur, ut omnibus placuit editoribus, in adiectivi formam participium rediisse iudicatur, ex quo abierit actionis notio; versus sequens *τοὺς Ἀχιλεὺς ἐδάϊζε κατὰ ῥόον* explicandi causa addi dici potest; sed cum dubium sit, num recte ita scribatur, rectius fortasse Classenium secuti et hoc loco et infra v. 301 scribimus *δαΐ κταμένων αἰζηῶν* et comparare licet *ι* 66: (*ἑταῖροι*) *οἳ θάνον ἐν πεδίῳ*, ut sit *αἰζηῶν οἳ ἐκτάθησαν δαΐ;* nam non in universum dicitur de iuvenibus in pugna occisis, sed de iis quos Achilles occiderat. *Ν* 262 Idomeneus: unam et viginti hastas Troianas, inquit, in tentorio meo invenies *τὰ κταμένων ἀποαίνυμαι*, quae auferre soleo si quem occidi; non dicit occisis in universum, sic recte poneretur perfectum, sed a me occisis *ὅσοι ὑπ' ἐμοῦ ἐκτάθησαν*. *Π* 757 *Λέοντε, ὥτ' ὄρεος κορυφῇσι περὶ κταμένης ἐλάφοιο μάχεσθον*. Si quis Germanice vertendum iudicet »um einen toten hirsch«, fortasse expectet perfectum atque ita intellexit Classen cum compararet (pg. 112) *Λ* 475 *ὡς εἴ τε δαφοινοὶ θῶες ὄρεσφιν ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον* atque adnotaret: hier werfen sich die schakale auf den toten hirsch, den ein jäger nicht um iretwillen erlegt hat, um in zu verzeren. Sed quod dicit de aoristo *βλήμενος* (p. 111) »es erscheint jedesmal selbst noch im

---

*) Classen cum inquireret quae leges in hoc aliisque eiusdem generis verbis scribendis sequendae essent, ita scripsit (l. l. pg. 68): dagegen ist es sehr begreiflich, dass *ἐϋκτίμενος* überall in der Ilias und Odyssee nur *als compositum geschrieben wird, da das einfache particip κτίμενος nicht mehr im gebrauch war* .... obgleich auch hierdurch die composition grammatisch nicht gerechtfertigt wird.... wir glauben, dasz... alle iene unorganischen zwitterformen in ihre bestandteile zerlegt werden müsten; ex quibus verbis B. Gieseke in lex Hom. s. v. eam fere partem allegavit quam diductis literis scripsimus tanquam Classenii sententiam contineret; quo iure id fecerit ipsius Classenii verba docent.

**) quod Autenrieth (apud Naegelsbach anm. z. Ilias a. h. l.) adnotat: »kann formell als part. aor. oder perf. angesehen werden, ist hier aber wol das *erstre* cum ad sententiam probandam nos ad Classenium deleget, aut ipse erravit aut Classen cum iterum observationes suas ederet sententiam mutavit.

zusammenhang des berürten vorgangs begriffen und in nahem, meist causalen zusammenhang mit dem hauptverbum« idem in hunc locum *Π* 757 quadrare mihi videtur; canes quidem aurei, ut cadavera comedere solent, cervum mortuum (*θανούσῃ αὐτὸν ἐλάφῳ εἰκάζει* schol.) circumsedent, sed leones ipsi venantur cervum, alter cum altero certans eum consequitur et dilaniat et supra occisum stans praedam ab altero defendit. *περὶ κταμένης ἐλάφοιο* igitur ita explicaverim: de cervo quem ipsi interfecerunt, *ἣν ἔκτανον αὐτοὶ*, ita ut interficiendi actio arcte cum pugnandi actione cohaereat. Sequitur *Ψ* 775 *βοῶν κέχυτ' ὄνθος ἀποκταμενάων;* stercus ibi dispersum iacebat boum mactatorum, interfectorum. Perfectum premeret statum; non id agitur poetae ut nobis exponat boves quorum stercus ibi iaceret, interfectos fuisse — nugas quidem ageret —, sed causam addit quomodo illud factum sit, ibi enim mactati erant boves, *κέχυτο βοῶν ὄνθος, οἳ ἐκεῖ ἀπεκτάθησαν*. Nonnulli praeterea loci exstant, in quibus *κτάμενος* attributive usurpatur, ita tamen ut non solum statum significare voluerit poeta sed etiam leviter respexerit ad actionem qua interfecti in eum statum pervenerint, nam *κτάμενοι νέκυες*, inter quos stantem Ulixem deprendit Eurycleia, ab ipso Ulixe modo sunt interfecti (*χ* 401, cf. *ψ* 45); cum dicit *εὐχετάασθαι κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν* (*χ* 412) gloriari dicit quod nobis contigit, ut eos interficeremus. Ut denique concedamus non actum hic respici, sed statum proprie significari, nonne interficiendi verbum non minus quam moriendi in eorum verborum numero est »die, ut ipsius Classenii verbis utar, eine tatsache aussagen, deren dauernde folgen sich als sich überall gleichbleibend von selbst verstehen, oder bei denen wir mit dem factum genug wiszen, um davon den zustand, der daraus hervorgeht, ableiten zu können (l. l. pg. 57); an qui mortuus est magis periisse dicitur quam qui interfectus est?

Demonstrare conati sumus in omnibus his locis aoristum intellegi posse atque etiam perfecto potiorem esse; longi fortasse fuimus atque paene veremur ne nimii fuisse videamur in distinguendo et interpretando, sed cum perfectum hic tolerari posse ille vir negavisset, cuius interpretationem recentiores Homeri editores secutos videremus, cogebamur, ut singulos locos non minus accurate tractaremus quam ille tractaverat. De *βλήμενος* Classen ipse ita disputavit, ut decem quibus extat locis aoristi notionem inesse statueret, uno dubitaret an perfectum esset proiecto augmento et accentu reducto. Sed non video quid impediat quominus ibi (*Δ* 211) aoristum ita explicemus ut vertamus »wo er sich aufhielt, nachdem er getroffen war« nec consentio Ameisio qui adnotans ad eum locum vertit: »wo er als verwundeter sich aufhielt« cum ita vertentes cogamur, ut reduplicationem plenam, quae praeterea numquam apud Homerum omittitur, excidisse statuamus. — Restat participium *οὐτάμενος*, quod Curtius (verbum I, p. 194) aoristum esse vult. Sed vereor, ut hoc ei concedere possimus; nam quamquam per se spectatum non minus inter aoristi formas referri potest quam *κτάμενος*, tamen id fieri vetant loci Homerici, quibus arcte coniunctum invenitur cum participio perfecti, ut *Λ* 659 (bis repetitum) *ἐν νηυσὶν κέαται βεβλημένοι οὐτάμενοί τε*, nec minus de reliquis quinque locis Classenio assentior dicenti (pg. 106): es kann kein zweifel über die perfectbedeutung desselben sein, nirgends tritt der act der verwundung als im gegenwärtigen vorgang begriffen hervor, sondern überall wird er als früher geschehen vorausgesetzt und die daraus hervorgegangenen zustände und verhältnisse werden beschrieben. Nec forma obstare videtur, quominus eam perfectum esse dicamus; nam cum praeter hanc inveniamus formam *οὐτασμένος* quae eadem cum *βεβλημένος* coniungitur, cum ea cohaeret sicut *ἐληλαμένος* cum *ἐληλασμένος* quod quamquam

apud posteriores demum scriptores invenitur, tamen ut aor. ἔλασσα ostendit a verbi ipsius forma non abhorreret atque eam tantum ob causam non exstat apud Homerum, quia ἐληλασμένος cum hexametri forma non concineret. Sed si recte perfectum esse diximus, non minus οὐταμένος scribendum videtur, quam Lobeck*) ἐληλαμένος scribendum censuit. Schol. Λ 659 qui idem perfectum esse vult, dicit: προπαροξύνθη ὑπὸ τοῦ Ἀριστάρχου διὰ τὸν χαρακτῆρα ἐπεὶ αἱ τοιαῦται μετοχαὶ προπαροξύνοιντο, ἱστάμενος, κιχράμενος, ὁ γὰρ ἀνὴρ τῷ χαρακτῆρι μᾶλλον τοὺς τόνους προσνέμει. — Φθίμενος denique ubique aoristi significationem habere Classen pg. 59 docuit.

Ostendisse nobis videmur Classenium cum statueret formas κτάμενος, ἄρμενος (pg. 103) κτίμενος perfecto esse adnumerandas non recte iudicavisse et non solum reduplicationes leges quas collegerunt recentiores grammatici ei sententiae obstare, sed ne usum quidem Homeri quem observavimus ei favere; neque igitur dici potest illos aoristos eam ob causam posterioribus temporibus non esse retentos, quod ambiguitati obnoxii fuissent utrum perfecto an aoristo essent tribuendi (Classen. p. 113), sed ut formae primariae**) coniugationis paullatim obsoleverunt, ita hae eo celerius in oblivionem venerunt, quod aoristi medii formae passiva notione paullatim privabantur et quod aoristi secundarii medialem iam occupaverant.

Sed diutius — neque neglegendum id videtur — manserunt participia; sic κτάμενος apud Pindarum quoque et poetas atticos legitur, ἄρμενος apud Pindarum et Theocritum, χύμενος apud Tragicos, ἐΰ κτίμενος apud posteriores rerum epicarum poetas, et quamquam Buttmanno consentire non possumus dicenti »nur das particip wird öfters, sowie auch andere part. aor. (θανόντες, πεσόντες) ganz als part. perf. gebraucht«, tamen ex iis quae supra diximus apparebit, quomodo in adiectivi notionem transierint, quam notionem eo facilius tenebant quod reliquae aoristi formae in oblivionem venerant.

Praeterea dubitatio orta est de formis ἐχύμην, χύτο, χύμενος, utrum aoristi an perfecta vel plusq. proiecta reduplic. sint habendae. Aoristos eas intellegit Buttmann, qui exempli causa profert θ 527, ubi legatur ἀμφ' αὐτῷ χυμένη de uxore maritum mortuum amplexa, cum π 214 de Telemacho patrem amplectente dicatur ἀμφιχυθείς. Atque profecto ἀμφ' αὐτῷ χυμένη κωκύει aoristum esse intellegitur ex v. 523, ubi pro χυμένη legitur φίλον πόσιν ἀμφιπεσοῦσα quod schol. Q. explicat περιχυθεῖσα αὐτῷ. Naegelsbach ad Β 41 ex schol. adnotatione: ἐμφαντικὸν τὸ ἀμφέχυτο πρὸς τὸ μηδὲν αὐτῆς ἐπιλελῆσθαι conclusit, scholiastam plusquamperfecti vim huic aoristo tribuisse eique assentitur. Similiter lexic. Homer. (rec. Ebeling) s. v. ὀμφή: divina eum circumfuderat vox. Aliter Eustathius ea verba scholiastae intellexisse videtur, cum adnotaret: (169, 29 sq.) τὸ δὲ ἀμφέχυτο ἐνταῦθα ἐπαινεῖται παρὰ τῶν παλαιῶν· σημαίνει μὲν γὰρ τὸ περιῆλθεν· ἐμφαίνει δέ φασιν ὅτι εἰς οὐδὲν αὐτῆς ὁ Ἀγαμέμνων ἐπιλέλησται. Atque

*) Ad Buttmann. ausf. Gr. II^{2}, 43.

**) Miror quod adhuc in recentioribus grammaticis et lexicis significatio aoristi syncopati quam a veteribus rerum grammaticarum scriptoribus traditam accepimus, tenetur (cf. Veitch greek verbs, Ebeling lex Hom.) nam quod Buttmann. in §. 110. B^{2} dicit eam retineri posse ne omnia veterum grammaticorum vocabula reicere cogamur, propterea displicet, quia syncopes notione genuina adhuc grammatici utuntur, unde necessario perturbatio oritur. Ego quidem cum Curtius (in libello »Chronologie« cet. pg. 44 sq.) docuerit vocalem copulativam quam vocabant veteres (λί-ο-μεν), rectius ad stirpem secundariam vocali α, ε, ο auctam referri, illos aoristos nominaverim aoristos *primarios*, quo a secundariis distinguantur.

ita intellexerim eius verba, ut cum alio loco (ζ 122) scriptum legatur ὥστε με κουράων ἀμφήλυθε θῆλυς ἀϋτή hic cum maiore vi et pondere putet poetam usum esse verbo fundendi ἀμφέχυτο; ipsa fundendi notio magis rei accommodata videbatur, cum Somnii sermonem tam distincte memoria tenuisse diceretur Agamemnon, ut postea ad verbum Achaeis repeteret (vv. 60—75). ἀμφήλυθε quod ζ 122 legitur in universum significat: ad eum pervenit, sive intellexit verba sive non intellexit, sed ἀμφέχυτο significat circumfusa est, ita ut quid ille dixisset memoria teneret. Nam cum verba eius aures circumfundere dicantur, quasi repetitur divinum praesagium, θεία ὀμφή. — Neque igitur Scholiasta hic plusq. notionem inesse voluit neque omnino eam hic requiri puto non magis quam τ 504, quem locum Naegelsbach praeterea affert; (in editione prima Π 471 quoque nominaverat). Sane quidem ea verba τὰ γὰρ πρότερ' ἔκχυτο πάντα nos verteremus: das frühere war ausgeschüttet, sed quae actio nobis ad plusq. tempus pertinere videtur eandem Graeco homini quoque eodem referri quis dixerit? v. 470 poeta narravit τὸ δ' ἐπὶ χθονὸς ἐξέχυθ' ὕδωρ — id iam narratum esse auditoribus hic, verba retinens quantum fieri poterat, in mentem revocat: »nam audivistis iam et quasi vidistis quomodo illa priora effunderentur«. Et quod praeterea affert Φ 80 νῦν δ' ἐλύμην eodem iure afferre poterat νῦν δ' ἦλθον α 194, νῦν αὖ δεῦρ' ἱκόμην ν 303, unde patet, plusq. notionem non tam *his* aoristis primariis inhaerere*) quam Graecos saepenumero aoristo uti pro sua cogitandi ratione ubi nos plusq. expectemus, quod nemo negabit (cf. infra ἐχεύατο).

Praeterea in horum verborum numerum Curtius (Verbum I, 189, 32) rettulit ἐλέλικτο quod duobus locis apud Homerum invenitur (Λ 39, Ν 558); de quo dum quaerit ipse ille vir sibi constare non videtur cum vol. II eiusdem libri pg. 156 in numerum perfectorum notionem praesentis exhibentium referat. Non facile est diiudicatu, utrum Buttmann aliique qui aoristum esse voluerunt sint laudandi an qui plusquamperfectum notionem imperfecti exhibens iudicaverint. Nam Etymologici Magni auctori non esse assentiendum aut Hesychio qui plusq. notionem defendebant, ille explicando ἤλικτο = ἐνέσφιγκτο, i. e. affixum erat ab artifice, hic similiter συνέστραπτο interpretando, docent alii loci huius poetae. Ubicunque enim opera arte confecta describit, animalia ab artifice ficta nobis ob oculos ponit tanquam vivant; atque ego quoque recentiores secutus aoristum esse eam formam putarem nisi illud me deterreret, quod nullum praeterea extat verbum derivatum quod similem aoristi formam exhibeat.

Cum de reliquorum verborum quae huc referenda sunt, significatione non dubitetur satis habebimus ea singula enumeravisse, ita ut singulis addamus exemplum, ex quo cognosci possit eandem iis Homeri temporibus vim infuisse quae postea passivi aoristis tribueretur: 1) κατέπηκτο ἰὸς ἐν γαίῃ (Λ 378) cf. ὀϊστοὶ ἐν χροΐ πῆχθεν Θ 298; saepissime ἐπάγην; ἔπηκτο praeterea non invenitur. — 2) πλῆτο, admotus est, χθονί (Ξ 438) cf. αἰχμὴ . . . θώρηκι πελάσθη (Ε 282). πλῆτο uno Hesiodi loco excepto post Homerum non invenitur. — 3) πλῆτο, repletus est, πᾶν πεδίον πεζῶν (ξ 267); cf. ἐπλήσθη πεδίον ἀνδρῶν (Υ 156); πλῆτο saepissime apud Homerum; postea nonnumquam apud Aristophanem legitur. —

*) Naegelsbach ad Β 41: Buttmann leugnet zwar die plusquamperf. bedeutung *dieser* aoriste (primarios dicit).

4) λύτο γούνατα, ὑπέλυντο δὲ γυῖα (Π 341); cf. λύθεν δ' ὑπὸ φαίδιμα γυῖα (Π 805), de λῦτο quod semel occurrit cf. Curtius, Verbum I, 187. haec quoque aoristi forma post Homerum obsolevit. — 5) σύτο Φ 167; de forma ἔσσυτο diiudicari non potest, utrum sit plusq. an aoristo tribuenda, cum perf. ἔσσυμαι praesentis vim habeat; aoristi formam literam σ duplicare posse ἔσσευα docet (Ε 208). ἔσυτο non minus quam ἐσύθην a posterioribus poetis usurpatur. — 6) ἔμικτο εὐνῇ (α 433); cf. μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ. Nonnulli eam formam e plusquamperfecto mutilatam esse voluerunt (cf. Veitch s. v.), sed cum neque α 433, neque reliquis quibus extat locis (Λ 354, Π 813) quibus etiam cum aoristo ἀνέδραμε arctissime coniungitur, plusquamperfectum requiratur, illorum sententia facile refellitur. — 7) ἐλέγμην denique ι 335: πέμπτος μετὰ τοῖσιν ἐλέγμην eodem referendum, quod Ameis non recte interpretari videtur: ich zählte mich; sed potius cum proprie in verbo λέγειν sit notio eligendi significat electus sum, e reliquorum numero iis aggregatus sum. Id quidem non dubium, quin secundum posterioris aetatis usum passivam potius quam medialem significationem in hoc verbo inesse statuendum sit (»by some called pass.« Veitch). De μιάνθην forma quid sit iudicandum Curtius docuit (Verbum II, 322).

Iam transeamus ad eas *aoristi secundarii* formas quibus apud Homerum notio passiva tribuitur. Sunt autem hae: ἀγέροντο, — ἐσθαι et syncop. part. ἀγρόμενοι, de cuius vi iam supra diximus; apud epicos tantum extat. — δάηται Τροίη πυρί Υ 316, Φ 375. (a praes. δαίω). — aor. sync. ἔγρετο quem schol. explicant: διηγέρθη, ἐγρηγόρησεν. — σχέτο retinebatur, haerebat, saepissime; non bene vertisse videtur Ameis λ 334 »sie fesselten *sich*« sed potius »summa voluptate capti sunt« sicut etiam aliis locis schol. et lexicogr. explicant κατεσχέθησαν. — λιπόμην relictus sum, remansi, et de hominibus et rebus (semel tantum sensu mediali ρ 187).*) — πιθόμην quod apud poetas quidem etiam post Homerum saepius invenitur; apud prosae orationis scriptores raro πιθοῦ legitur, si codicibus fides habenda est. — διεπράθετο πόλις ο 384. — τραπέσθαι semper scribitur pro τραπῆναι quod apud Homerum nondum invenitur, semel τραφθῆναι. Cuius verbi notio quamquam ubique vere intransitiva appellari potest, tamen ubicunque transfertur in res quae sui compotes esse non possunt, fit passivae simillima, ut νόος ἐτράπετ' αὐτῆς (η 263) χρὼς ἐτράπετο, vel de cuspide hastae μόλιβος ὣς αἰχμὴ ἐτράπετο (Λ 237) cum aliis locis legatur ἀνεγνάμφθη οἱ αἰχμή (Ρ 44, Η 259). Etiam postea aor. ἐτραπόμην illam vim tenuit, cum apud Platonem (Crat. 395 D) legatur ἡ πατρὶς αὐτοῦ ὅλη ἀνετράπετο et apud Theocritum (VIII, 90) ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπα ὥτερος, οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο. — Sed cum paucae tantum huius aoristi formae apud posteriores scriptores principalem vim servaverint, unum verbum ἐγενόμην eam notionem omnibus temporibus tenuit, quippe quod esset magis usitatum atque quotidiano sermone tritum quam ut novum loquendi usum sequeretur.

Restant paucae formae aoristi reduplicati, quibus et ipsis passivi notio inhaerere videtur: κατηγαγόμεσθα νηὶ ἐς λιμένα, κ 140 devecti sumus navi in portum; quod non bene correxit aliquis in νῆα, ut esset deduximus navem nostram in portum, fortasse cum formae medialis notionem

---

*) gotorum bi-leiban = λιπέσθαι, bi-laibjan (causat.) = λιπεῖν. Si eiusdem radicis sunt ea verba, quod sunt qui negent, sententiam nostram quam pg. 6 sq. exposuimus firmare videntur.

passivam ferri non posse putaret, nam Attici scriptores fere καταχθῆναι νηί dicere solebant*). — κεκάδοντο Δ 497 ὑπὸ δὲ Τρῶες κ. = ὑπεχώρησαν; cum in act. κέκαδον insit notio repellendi (privandi), haec forma si ab illius significatione suam vim duxisset passivo ascribenda esset. Tamen si recte scripsimus quae supra exposuimus, si quid passivae notionis in ea forma inest statim ex intransitiva ortum esse iudicandum est. — Denique δεδάασθαι quod Eustathium (1803, 39) secuti aoristi formam esse putamus. Nam neque placet quod Veitch (greek verbs p. 149) docet: »from δέδαα comes a new pres. δεδάομαι, hence inf. δεδάασθαι (cui auctor lex. Hom. s. v. assentiri videtur) cum nulla aliarum formarum similitudine fulciatur, nec Curtius probatur, qui (verbum II, 216) eam anomalam perfecti formam esse vult dicens: ganz vereinzelt steht auch das einmalige δεδάασθαι (π 316), medialer infinitiv zum activen δέδαα. Non negaverim talem perfecti formam extare potuisse cum eodem loco vir ille alias huic similes formas attulerit, sed videat num π 316 perfectum ferri possit, neque enim Telemachus patrem iubet *novisse* mulierum mentem, sed de ea *cognoscere*, proprie edoceri.

IV.

Relinquitur ut de iis aoristi in -σάμην cadentis formis disputemus quae in Homeri carminibus intransitivam vel passivam vim tenuerunt, ita quidem ut plerumque aut apud Homerum ipsum aut apud posteriores scriptores praeter eas aoristi in -θην exeuntis formae usurpentur, quae paullatim solae illam significationem in se susceperunt.

Primus huc referendus videtur aoristus ἐγημάμην (γημαμένη ap. Hom.) qui vim intransitivam fere semper tenuit, cum usus quotidianus quod idem de verbo ἐγενόμην factum esse iudicavimus, tam tritam formam mutari non pateretur; posteriores demum pro ea forma γαμηθῆναι usurpare coeperunt, contra quos diserte monuit Pollux 3, 45 secundum atticae linguae usum de femina viro nubente non dici γαμηθῆναι, sed γήμασθαι. Quae sit prima eius vocis notio parum constat, tamen nihil nobis obstare videtur quominus hic quoque medii notionem intransitivam principalem fuisse statuamus.

Eodem referendus aor. εἴσατο, ἐείσατο, εἴσαντο, visus est, apparuit, ἐφάνη schol., nam secundum posterioris aetatis loquendi usum hic quoque formam in -θην exeuntem expectaveris. — Notio passiva praeterea inest in aor. ὀχήσατο: πολέεσσιν ὀχήσατο κύμασιν Ἑρμῆς ε 54, cuius aoristi in -θην cadentis formae apud Hippocratem et Lucianum inveniuntur; attici praesenti et imperfecto tantum utuntur. — Tum in forma ἐχεύατο Η 63: Ζεφύροιο ἐχεύατο πόντον ἔπι φρίξ. Naegelsbach ad Γ 141 hanc aoristi formam in earum numerum refert in quibus insit vis vere reflexiva; sed etiamsi in medii formis inesse posset, tamen huius verbi vis omnino non est reflexiva, nam quamquam pro medio ἐντυναμένη sensu leviter

---

*) Classen cum Thucydidem ederet compluribus locis hanc formam deteriorum codicum auctoritatem secutus restituit; cf. not. crit. ad I, 29, 18 append.

mutato dici potest ἐντύνασα ἓ αὐτήν (Ξ 162, cf. μ 18, tamen nemo censebit pro χεύατο φρίξ dici potuisse φρίξ χεῦεν ἓ αὐτήν, nimis enim illud e nostra lingua translatum videretur, sed pro graecorum loquendi usu eius vis est intransitiva seu passiva. — Si etymologia verbi χώομαι recte intellecta est a viris doctis ut sit: suffundi ira, ἐχώσατο non solum forma sed etiam significatione cum v. ἐχεύατο proxime coniuncta est, quod et ipsum passivi vicibus fungitur; cf. Eustath. 48, 45: ἐχώσατο, ὅ ἐστι συνεχέθη τῷ θυμῷ. — Similis vis inest in aor. σεύατο (= σύθη si recte legit Zenodotus Ε 293) cf. supra σύτο. — ἱμαρήνατο quae varia lectio Ι 212 traditur, quamquam illo loco non probanda, tamen per se spectata non mira; κατὰ πῦρ ἱμαρήνατο eodem iure apud Homerum legeretur quo φλὸξ ἐμαράνθη.

τ 407 ὀδυσσάμενος nonnullis passive intellegendum videtur. Nobis non id agitur ut quaeramus utrum rectius Ὀδυσσέως nomen explicetur »is qui irascitur« an »is qui invisus est« sed quid dicere voluerit illo loco poeta. Nonnulli ut demonstrarent hoc loco passive intellegi posse illam formam attulerunt Sophoclis fragmentum (408 ap. Dindorf.) cuius verba sunt haec:

ὀρθῶς Ὀδυσσεὺς εἰμ' ἐπώνυμος κακοῖς
πολλοὶ γὰρ ὠδύσαντο δυσσεβεῖς ἐμοί.

Cum nobis non traditum sit quo nexu sententiarum legerentur apud Sophoclem illi versus neque facile sit ita vertere ut aliter eos verti non posse concedatur, non licet ex eorum interpretatione hunc Homeri locum interpretari. Nam quamquam Sophocles verbis πολλοὶ γὰρ ὠδύσαντο Homeri verba πολλοῖσιν γὰρ ἔγωγε ὀδυσσάμενος significasse videtur, tamen hac ipsa significatione ita differunt ab Homeri verbis, ut cum his vix comparari possint. Haec dicere mihi videtur apud Sophoclem Ulixes: *hominibus* malis commode Ὀδυσσεὺς ego cognominor, nam multi impii mihi — ὠδύσαντο, irascebantur *). Sed non intellego quomodo fieri potuerit ut ex hoc fragmento colligerent viri docti (cf. Passow, lex. s. v.) ὀδυσσάμενος passive intellegendum esse. Nullo enim vestigio indicavit poeta se huic verbo passivam notionem tribuere voluisse et cum praeterea semper mediali sensu usurpatum inveniamus neque hic ipse locus repugnet ei explicationi, Sophoclis fragmentum nos non movebit ut aliter iudicemus. Quare cum secundum etymologiae leges vox Ὀδυσσεὺς activam vim habeat neque sit quod poetam eas neglexisse statuamus, ὀδυσσάμενος vertimus »iratus«; Sophoclis vero versus magis παρήχησιν quam etymologiam sequuntur.

Medii ἀασάμην et passivi ἀάσθην formas ita inter se distinxit Gieseke (lex. Hom. rec. Ebeling s. v.) ut diceret illud significare »committo ut in errorem incidam, in errorem inducor«. Sed iniuria illarum formarum notiones distinguere conatur quod quidem probatur iis ipsis qui apud Homerum extant locis. Sic Ι 537 ubi de Oeneo qui omnibus diis deabusque Diana excepta immolaverat aut Λ 340 ubi de Agastropho qui equos adducendos neglexerat, dicitur: ἀάσατο δὲ μέγα θυμῷ vertere non possumus: »commisit ut in errorem incideret«, non magis quam cum narratur, Aiacem evasurum fuisse, εἰ μὴ ὑπερφίαλον ἔπος ἔκβαλε καὶ μέγ' ἀάσθη

*) Non recte Roscher (studien IV, 197) verba explicare videtur, Sophoclem illam nominis interpretationem secutum esse dicens, »wonach ut ipsis eius verbis utar, Odysseus den von den göttern gehassten oder den träger göttlichen zornes bezeichnet«; nam ne κακοῖς neutrum esse diceret ut fecisse videtur atque verteret: »a malis quae passus sum, quae mihi imposuerunt Dii, recte ego nomen duxi« sequens versus vetabat, quo impiis se odio fuisse dicit, non Diis.

(δ 503). Sed magis etiam illam interpretationem falsam esse cognoscitur ex locis qui extant T 95, 136—37 ubi postquam de Ate dea verba fecit ἣ πάντας ἀᾶται (v. 91) ut illud probet pergit (v. 95) καὶ γάρ δή νύ ποτε Ζεὺς*) ἄσατο, i. e. ab illa dea occaecatus est, in errorem inductus est et paullo post ipse Agamemnon illa respiciens: ὣς καὶ ἐγών, inquit, οὐ δυνάμην λελαθέσθ' ἄτης ᾗ πρῶτον ἀάσθην· ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην καί μευ φρένας ἐξέλετο Ζεύς... et q. s. ubi per se patet ἀασάμην explicari superadditis verbis καί μευ φρένας ἐξέλετο Ζεύς, actionem igitur illam quae significetur voce ἀασάμην effectam esse auctore Iove itaque passivam esse neque discerni posse a passiva forma ἀάσθην quacum etiam ita coniungitur ut eandem notionem necessario teneat, (cf. Autenrieth ap. Naegelsbach Hom. Theol. pg. 321) atque rectissime monetur in lex. Hom. s. v. ἄτη: »Errorem Graeci non admitti putabant a quoquam, sed immitti a Iove vel alia de causa hominibus nolentibus vel etiam nescientibus, quare qui ἄτῃ corripitur culpa se vacare putat«. Neque in aoristo ἀασάμην eam notionem inesse statuisset Gieseke, nisi passivam notionem ab huius aoristi formis abhorrere sibi persuasisset.

Supersunt nonnullae aoristi medialis formae quas promiscue cum aoristi in -θην exeuntis formis usitatas invenimus, ita tamen ut iam apud Homerum medii forma rarius quam illa legatur; posterioribus vero temporibus fere obsolevit atque intransitiva illa notio ab activi transitiva distincta sola aoristis in -θην (-ην) cadentibus tribuitur. Singulas iam perlustremus. 1) δ 541 legitur κυλινδόμενος καὶ κλαίων ἐκορέσθην — atque ita semper apud posteriores poetas, sed X 427: κορεσσάμεθα κλαίοντέ τε μυρομένω τε, υ 59 ἐπεὶ κλαίουσα κορέσσατο ὃν κατὰ θυμόν . . quae forma praeterea quoque apud Homerum eodem sensu usurpatur. Krueger in eorum verborum numerum, quorum medii formis insit vis passiva similitudine verborum κορεσθῆναι ἐμπλησθῆναι adductus ἄσασθαι quoque rettulit (gr. gr. II. §. 52, 9, 1). Sed neglexisse videtur activi quoque formis eandem notionem quam ille passivam appellavit infuisse. Sic ubi de hasta dicitur Λ 574 λιλαιομένη χροὸς ἆσαι, ad quae verba posterioris aetatis sermonem respiciens scholiasta adnotavit ἐνεργητικὸν ἀντὶ παθητικοῦ, ὤφειλε γὰρ ἄσασθαι. Veitch (greek verbs pg. 107 s. v. ἄω) coniecit scribendum esse ἆναι**) permotus significationis commutatione cum praeterea aor. ἆσαι semper transitivam satiandi notionem habeat. Sed ex iis quae infra afferemus exemplis elucebit eandem mutationem saepissime occurrere quam ob rem recte statuisse nobis videmur activi notionem principalem illorum verborum fuisse intransitivam, eamque paullatim a causativa eiectam medio esse tributam, postea increbrescentibus aoristi in -θην exeuntis formis in hunc collatam. — 2) Praeterea affert aor. med. κορυσσάμενος βῆ Ἀχιλλεύς T 397, cum qua forma comparandi sunt aor. θωρηχθῆναι θωρήξομαι, quae quidem aoristi medialis forma semel tantum Θ 376 invenitur. Lexici Homerici auctor s. v. eam futuro medii ascribit, quod idem alii lexicographi facere videntur nec Veitch aor. med. apud Homerum extare putat (»aor. later ἐθωρηξάμην as activ«). Verba autem haec sunt:

---

*) sic recte legitur, non Ζῆν'. cf. Spitzner ad h. l. Non solum »perinde habendum erit ac si scripsisset Iovem Atae frande esse deceptum« sed etiam ipsam passivam vim in voce ἄσατο inesse recte statuere posse nobis videmur.

**) there seem some grounds for suspecting that ἆσαι may somehow have crept in for ἆναι inf 2. aor.

ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν νῶιν ἐπέντυε μώνυχας ἵππους
ὄφρ' ἂν ἐγὼ καταδῦσα Διὸς δόμον αἰγιόχοιο
τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήξομαι ὄφρα ἴδωμαι e. q. s.

»tu iam nobis appara equos, dum ego arma induero, ut videam cet. Simillimi huic loco sunt Ζ 112:

μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς
ὄφρ' ἂν ἐγὼ βείω προτὶ Ἴλιον.

Ρ 185 μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς
ὄφρ' ἂν ἐγὼν Ἀχιλῆος . . . ἔντεα δύω.

Σ 409 σὺ μέν νῦν οἱ παράθες ξεινήια καλὰ
ὄφρ' ἂν ἐγὼ φύσας ἀποθείομαι.

ubicunque ὄφρ' ἂν aut ὄφρα κε invenitur, cum coniunctivo aoristi coniungitur neque etiam χ 377 quo uno loco praeter hunc futuri formae aoristus par est, aliter explicandus videtur:

ἐξελθόντες μεγάρων ἕζεσθε θύραζε
ὄφρ' ἂν ἐγὼ κατὰ δῶμα πονήσομαι,

dum ego confecero quod opus est (= πονήσωμαι). Neque vero id nos retinebit, quod praeterea medialis aoristi forma non invenitur, cum κορυσσάμενος quoque eo solo loco legatur. —

Quae sequuntur verba cuncta aut corporis aut animi motum significant, quorum aoristi mediales apud posteriores intransitiva vi fere privati sunt. Sic fere semper iam apud Homerum scriptum invenimus τανυσθεὶς κεῖτο, et de Achille amici mortem lugente (Σ 26) et de caesorum corporibus (Ν 392), sed ι 298 cum Cyclops vini plenus concidisset legitur τανυσσάμενος διὰ μήλων κεῖτο. Similiter cum hominis se reclinantis actio fere semper aor. pass. significetur et ebrii (πέσεν ὕπτιος ἀνακλινθείς ι 371) et dormientis (δ 794, σ 189) et remigantium (ν 78) tamen ρ 340 scriptum invenimus de Ulixe ἷζε δ' ἐπὶ μελίνου οὐδοῦ ἔντοσθε θυράων κλινάμενος σταθμῷ. Eodem fortasse referenda est forma σείσατο de Iunone irascente: σείσατο δ' εἰνὶ θρόνῳ Θ 199; σείσατο = ἐκινήθη schol.

Fuerunt qui statuerent discrimen intercedere inter eas aoristorum formas Graecosque ipsos aliud sensisse si audirent τανυσθεὶς κεῖτο, aliud si τανυσσάμενος maximeque ii qui medio generi q. v. reflexivam notionem tribuerunt summa diligentia vertentes Homerum distinxerunt »sich ausstreckend« et »ausgestreckt« sed videant ne nostrum potius sermonem sequantur quam Graecos. Supra exposuimus quomodo significationis illa commutatio paullatim facta sit, sed cum iam apud Homerum formae illae τανυσσάμενος, σεύατο aliaeque minus usitatae atque paene obsoletae essent, iis non ita usus est, ut aliquam notionis varietatem exprimeret, sed vix magis dissimiles iam tum fuisse videntur quam nostra aetate buk et backte. —

Sed iam reliqua verba animi aut corporis motum significantia enumeremus quorum activi formas primo eandem notionem habuisse quae postea aoristis in -σαμην atque postremo aoristis in -θην exeuntibus tradita est exemplis allatis probari potest. χαίρω etiam apud posteriores usitatissimum, aor. — χήρατο (Ξ 270), plerumque ἐχάρη. — ἥδω quoque primo intransitivam vim habuisse ex antecedentis verbi similitudine concluserim; ἥσατο (ι 352), postea semper ἥσθη. — Quod de ἥδομαι diximus idem valet in verbi τέρπεσθαι formas. Habemus enim praeter ἐτέρφθην (ἐτάρφθην) ἐτάρπην (ἐτράπην) ἐταρπόμην τεταρπόμην

aoristum ἐτερψάμην (π 26, μ 188) et quamquam activi formis semper causativa delectandi notio inest, tamen adductus sanscr. verborum trpnômi, trpâmi, trmpâmi significatione atque verborum χαίρω et ἥδομαι similitudine intransitivam vim principalem iudico. — νεμέσσησε Θ 198, νεμεσσήσαιτο α 228, plerumque νεμεσσήθη. — κοτέω Ξ 143, κοτέσσατο, -σσάμενος saepius. Aor. in -θην non extat cum verbum nisi apud poetas non usurpetur. — De ὠδύσατο iam supra disputavimus. — Eodem χολώσατο et χολώθη rettulerim, quae promiscue apud Homerum usurpantur. activum χολόω nunc semper causativam notionem habet, tamen non minus intransitivam vim antea habuisse videtur quam νεμεσσάω, κοτέω. — Similiter μαίνω (ἐκμαίνω) semper causativam habet vim, sed intransitivam et ipsam activi formis primo infuisse cum ex horum quae modo enumeravimus verborum similitudine cognoscitur, tum perfecto μέμηνα probatur, quod semper intransitivam insaniendi significationem tenuit. apud Homerum (Z 160) ἐπεμήνατο legitur, cuius medialis aoristi formae praeterea apud bucolicos poetas Homerum imitantes inveniuntur; apud prosae orationis scriptores aor. μανῆναι usitatissimus. — Denique cum his contulerim ἀγασσάμεθα cet. et ἠρασσάμεθα, pro quibus formis praeterea plerumque scribitur ἠγάσθην et ἠράσθην; notio earum formarum ab activis verbis ἐράω et ἀγάζω vix differat.

Corporis motum significant haec: ἀΐσσω, ἀιξάμην, ἀίχθην. Gieseke (lex. Hom. s. v.) activum usurpari putat »de iis quae sua sponte moveantur aut moveri videantur, de hominibus, animalibus, fumo, fulgore; passivum aut medium de rebus«. Sed E 657 legitur δούρατα μακρὰ ἤιξαν, Υ 277 μελίη, Λ 553. Ρ 662 ἄκοντες ἤιξαν, ἀίσσουσι atque Ψ 369 etiam ἅρματα ἀίξασκε; nec video quomodo ab his differant loci quibus legitur ἔγχος ἀιχθῆναι (E 854) ἐκ δέ μοι ἔγχος — ἠίχθη παλάμηφι Γ 367, quod E. M. auctor interpretatur ἐξέδραμεν, ἠνέχθη. Huius passivi notionem autem esse vere intransitivam ostendit Ω 97 ubi etiam de Diis dicitur εἰς οὐρανὸν ἀιχθήτην. — ἐρείδω, ἐρείσατο, ἠρείσθην. Medii notio quomodo ab *activo* differat recte interpretatur schol. M 457: μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐπερεισθείς (sicut X 195 ἀίξασθαι dicitur de Hectore cum vi irruente pro ἀίξαι) ex qua ipsa interpretatione cognoscere licet quantum posteriorum temporum sermo ab Homero differat; nam transitiva notio quae post intransitivam in activi ἐρείδω formas irrepserat hac quasi eiecta sola activum occupaverat, intransitiva ad passivi q. v. formas confugerat. — ὁρμάω, ὁρμήσασα, ὁρμήθη quae formae promiscue intransitive usurpantur. — δινέω (ἐδινήσατο) δινηθῆναι. Aor. med. apud Homerum quidem non extat (Veitch s. v. ἐδινήσατο ex Nonno et imp. δινήσασθε ex Anthol. affert) tamen eadem facies huic verbo impressa est quae reliquis supra allatis. Principalis activi intransitiva notio apud Homerum cum transitiva mixta invenitur, postea medio soli servata est eademque in passivi formis inest. — Formas ἐλελιξάμενος B 316 et ἐλιξάμενος M 467 P 283 schol. interpretantur voce συστραφείς s. ἐπιστραφείς quarum vis intransitiva primo eadem activo infuisse videtur, praeter aor. med. eodem sensu legitur ἐλελίχθην: ἐλελιχθέντες στῆτε, conversi consistite (Λ 588). — ὀρέξατο, apud prosae orationis scriptores fere semper ὠρέχθην, quae forma apud Homerum non invenitur. — κοιμήσατο, κοιμηθῆναι promiscue usurpantur; si has formas cum ὡρμήσατο, ὁρμηθῆναι comparaveris, non minus activo κοιμάω intransitivam notionem inesse potuisse apparebit, quae in voce ὁρμάω inest, etsi nullum eius significationis exemplum extat. — Huic voci respondet aor. ἐλεξάμην, cuius activum ἔλεξα eodem quidem sensu usurpatur quo ἐκοίμησα (Ξ 252) tamen ab intransitiva notione primo

non alienum fuisse videtur. — τρεψάμενοι quod in prosa oratione semper transitive usurpatur apud Homerum bis intransitivam habet notionem (α 422, σ 305); eandem activo infuisse probat Π 657 φύγαδ' ἔτραπε; τραφθῆναι semel legitur (ο 80). — Idem cadit in χάσσατο, χασσάμενος, cum ἀναχάζοντες apud Xenoph. An. IV, 1, 16 habeat intransitivam vim. Quod Krueger (gr. gr. II, §. 52, 9, 1) his praeterea ascripsit δαισάμενοι, si activum δαίνυ δαῖτα recte explicatur παρασκεύαζε εὐωχίαν (sch. A) appara epulas, potius referendum est in eorum verborum numerum quorum medium commodo alicuius rem fieri significat. — Pauca quae restant verba his adiecisse satis habemus: πειράω, πειρήσατο, πειρήθη (etiam apud prosae orationis scriptores promiscue usurpatur); δίω, δίσατο, δίσθη; δηρίω (apud posteriores demum) δηρίσαντο (Θ 76) δηρινθήτην (Π 756); — αἰδέω (apud posteriores) ᾐδέσατο, αἴδεσθεν, quibus adiungendae quamquam activi formae non extant δυνήσατο (ρ 303) δυνάσθη (ε 319. Ψ 465).

Iam ut summam colligamus primum demonstrasse nobis videmur notionem passivam in lingua Graeca arctissime cohaerere cum notione intransitiva, ita ut ubique formae quibus ea notio inest eaedem passivam vim habere possint atque interdum difficile sit dictu utrum rectius intransitiva an passiva notio inesse dicatur. Tum quomodo paullatim verborum significatio mutata sit oculis quasi persequi conati sumus. Quae verba enim transitivam atque intransitivam significationem ita distinxerunt ut illam activo, medio hanc tribuerent, eorum vis principalis nobis intransitiva fuisse videbatur, quae quomodo medio generi soli tributa sit supra descripsimus. Sed cum postea quoddam formarum genus quasi luxuriaretur eique vis intransitiva (s. passiva) praecipue tribueretur (formas dico in -ην et -θην exeuntes) paullatim factum est ut cum aliquamdiu una illam notionem tenuissent medii formae atque aoristi in -θην cadentes, postea fere solis his ea notio relinqueretur, medii formae transitivae plerumque notioni tribuerentur, ita ut posterioribus temporibus pauca tantum extent verba quorum aor. med. formae servaverint intransitivam vim.

Pauca his quae ante complures menses scripsimus iam, cum imprimenda curamus, addenda videntur, maxime iis quae pg. 4 sq. exposuimus. Quo diutius enim rem perpendimus, eo magis sententia nostra confirmatur. Nam si medii notio recte reflexiva appellaretur, sequeretur ut notio *directe* reflexiva *saepissime* medii formis inesset; sed quoniam *rarissime* illud fieri constet, utramque notionem circulis quasi duobus comparaverim, quibus aliqua orbis pars communis sit, quorum centra vero maximo spatio interiecto disiuncta sint. Et cum intransitivam et transitivam notionem saepissime promiscue activo inesse videamus, quis dixerit medii formas inventas esse quo illa ab hac distingueretur? An denique quisquam ex Indicae aut Bactrianae linguae usu collegerit medio inesse vim reflexivam aut intransitivam

activi principali oppositam? Tenendum potius videtur utriusque generis formas non minus quam temporum diu usitatas fuisse priusquam sua utrique vis ab alterius separata tribueretur ea aetate cuius usus vestigia ad nos pervenerunt.

Sed quod nos statuimus transitivam activi notionem rectius causativam appellari eamque post medii intransitivam, quae antea utrique communis esset, ortam esse, non ignoramus principalem quoque notionem transitivam mutari potuisse in intransitivam quod maxime in recentioribus linguis factum esse constat; ubi vero aut vetustissimae quaeque formae intransitivam vim exhibent, aut etymologiae leges eam primitivam fuisse ostendunt, non dubitamus activi vim appellare causativam et ab illa derivatam. Ut accuratius sententia nostra iudicari possit nonnulla afferamus verba quorum notio eodem modo iudicanda videtur. *κλείω* s. *κλέω* (cf. *πνείω*, *πνέω*) apud poetas semper habet causat. notionem celebrandi, *κλέομαι* intransitivam. Forsitan dixeris inesse illi medio passivam vim, sed etymologia docet *κλείω* derivari a radice klu seu kru, proprie igitur inesse sicut in *κλῦθι* notionem audiendi; iam cum audire, bene (male) audire (cf. *κλέος*, *ἠδ' ἵνα μιν κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἔχησιν α* 95) intransitive significet celebrari, equidem non video cur *κλέω* olim non idem significare potuerit. *ἀγάλλω* = ornare, i. e. efficere ut splendeat, *ἀγάλλεσθαι* = superbum esse i. e. splendere; comparatur cum intransitivo verbo *γελάω*; quomodo transitiva notio irrepserit aliter intellegere non possum. *ἀέξω* = augere, *ἀέξομαι* = crescere; cf. sanscr. vakšâmi = *ἀέξομαι*, vaksajâmi = *ἀέξω*. got. vahsjan = *ἀέξεσθαι*. Sed haec hactenus. Si non prorsus improbabuntur viris doctis quae scripsimus, facultate data accuratius exponemus quomodo notio causativa apud Graecos ab immediativa distincta esse nobis videatur.

Marburg. Universitäts-Buchdruckerei (R. Friedrich).